



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Calvinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Epistolam B. Pauli ad Romanos

Stapleton, Thomas

Antverpiæ, 1595

Argumentum Cap. X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39447

sed aperta iniquitate : qua plerorumque laborasse, illa Christi verba in Evangelio planum faciunt : *Nonne Moyses Ioa. 7. dedit legem, & nemo ex vobis facit legem?* Modum sane operum fiduciam & inactantiam, quæ vel penitus falsa ac mendax est, vel hypocritica & ficta est, in dicitur diuina Scriptura. Sed impostor temerariam & falsam operum fiduciam cum vera pietate ac sanctitate conturbat : & vt omne bonorum operum studium à salutis causa longissimè propellat, contra inanem ac falsam fiduciam declamatur. In summa, totam Apostoli disputationem non inuertit modò ac deprauat ; sed & Epicureæ eius impietati subseruiat, indignissimè & violenter contorquet. Quod in sequentis capituli textu primo magis adhuc magis apparebit.

Argumentum Cap. X.

ROSEQUITUR hanc rationem casus Iudæorum, quam in fine cap. præcedentis breuiter attigerat. Mox infidei Euangelicæ commendationem, quæ eam Iudæi neglexerant, excurret iterum, & iustitiam ex hac fide prædicat. Tandem de huius fidei ac iustitiæ toto orbe propagatione,

tionem, & quo medio illa propagatur, tam ex Moysè quàm ex Esaia disputat.

3. Ignorantes iustitiam Dei, & suam querentes statuere, iustitia Dei non sunt subiecti.

Caluini
artes, ser-
pentinz.

Impostura suæ artificio in huius loci explicatione peregrinè Caluinus vititur. Multa quippe bona & vera prælocutus, & blandam serpentis faciem indutus, in postremo sermone veluti cauda serpentina venenata spicula infixit; totamque Apostoli sententiam, quasi paululum à vero declinans, penè verbo infectam, hæretico suo dogmati subseruire coëgit, sic enim scribit: *En querentes inconsiderato zelo aberrarunt Iudæi: nempe quod propriam iustitiam erigere voluerunt, quæ sicuti sicuti inducia ex diuina iustitia ignorantia prouenit. Quæ uia antithesim Dei iustitiæ & hominum. Primum, quod minus opponi inter se quasi res contrarias, & quæ se mulstare nequeunt. Vnde sequitur, euerit Dei iustitiam simulac propriam statuunt homines. Denique, ut inter se respondeant antitheta. Non dubitamus vocari Dei iustitiam, quæ Dei donum est: sicuti iustum dicitur hominum iustitia, quam petunt a seipso vel se ad Deum afferre confidunt. Omnia hæc bona & verissima sunt, & in quibus ad exortum huius loci commentarium vix quicquam consideres. Nam antithesis Apostolica & illa ipsa est quæ dixit, & illum sensum habet quem designauit. At nunc vide caudam serpentinam, quàm se molliter inflectit, ut incautum le-*

orem feriat. Sic enim subiungit, adeoque
 iudicium: *Iustitia ergo Dei non subijcitur, qui vult
 seipso iustificari.* Ecce vnius verbi enallage
 nam Apostoli sententiam, quasi vna asper-
 sione ni gutta, intoxicauit. Quod enim an-
 te iuxta Apostoli mentem dixerat, *Dicitur
 in iustitia, quatin petunt à seipsis, nunc vafre
 pervertit, iustitia Dei illum non subijci, qui vult in
 seipso iustificari.* Atqui hxc duo, hominem à
 seipso iustificari, & in seipso iustificari, etsi
 rebus vicina, rebus tamen sunt disunctissi-
 ma. Quæ calefiunt ab igne corpora, in seip-
 so calefiunt; sed ab igne, non à seipsis. Aer
 lucidus in seipso lucidus est; sed à sole, non à
 seipso. Sanatus ager à medico in seipso sa-
 natus est; sed à medico, non à seipso. Sic Dei
 iustificatus (vocatur quippe hie iustitia Dei,
 quia Dei donum est, ait ipse Calvinus) charitate
 inflammatus, fide illuminatus, gratia sanatus,
 in seipso iustificatus est; sed à Deo, Deique
 dono, non à seipso: quod paulò post latius
 explicabitur. Nunc ne temere aut oscitanter
 Calvinum ita locutum esse, nec studio sed
 casu in alium loquendi modum verba defle-
 xisse quis existimet, vide quid statim inferat.
 Quia (inquit) *iustitia Dei obtinenda principium
 est, abdicare se propria iustitia. Quorsum enim iusti-
 tiam aliunde querere attinet, nisi quia inopia nos co-
 gat.* Hæc sanè verè dicuntur, si de iustitia lo-
 quitur quam homo à seipso petit. Qui enim
 vult à Deo iustificari, hoc in primis agnosce-
 re debet,

*ustificari
 à seipso, &
 in seipso,
 inultum.
 differunt.*

*Iustitia
 propria
 quomodo
 abdicata.*

Qq

re debet, nō à seipso sed à Deo per Christum illam appetere, memor semper illius quod

1. Ioh. 15. Christus dixit, *Sine me nihil potestis facere*, & il-

2. Cor. 4.7 lius quod Paulus dixit, *Quid habes quod non accepisti?* Sed hæc fallō ac fallaciter dicuntur,

si de iustitiā loquitur quam homo habet debet in semetipso. Nā qui sine Christi gratia nihil potest facere, cum Christi gratia potest omnem iustitiam facere, iuxta illud

Philip. 4. Pauli, *Omnia possum in eo qui me confortat.* Res-

15. sum, qui nihil habet quod non accepit, utique id quod accepit habet. In hoc ergo sensu fal-

sum est, iustitiæ Dei obtinenda principium esse, ad dicare se propria iustitia, quasi videlicet perpetuò manens in propria sua iniustitia, impu-

tate, turpitudine, qua ante iustificationē laborabat. Imò iustitiæ Dei obtinendæ princi-

Gal. 6. 15. piū est, esse nouā in Christo creaturā, & sic prop-

priā quandā, non quidē à seipso, sed in seipso iustitiam habere; iuxta illud Pauli: *Et*

1. Cor. 6. *quidem olim fuistis, raptores, adulteri, &c. Nunc autem*

11. *ablati estis, sanctificati estis, iustificati estis in nomine Christi* (quia non à vobis ipsis, sed à

virtute Christi) & *in spiritu Dei nostri*, quem videlicet accipiunt credentes in Christum,

& sic in vobis ipsis iusti ac sancti estis, qui olim impuri & impij eratis. Et sic quidem

inopia cogit impios atque iniustos, ut aliunde iustitiam quarant, id est, non à seipsis eam petant,

sed non cogit ut in seipsis tales semper manent. Atque hunc posteriorem sensum fal-

sum &

um & execrabilem tenuisse in illis verbis
 Caluinum; id quod statim atrexit, manife-
 stum facit. Diximus (inquit) alibi, quomodo Dei
 iustitiam fide induant homines, quia scilicet imputa-
 tur illis Christi iustitia. Hic iam suum venenum
 aperit profudit serpens. Quod Paulus do-
 cet, Dei iustitiam obtinere non posse, nec
 a Deo dono iustificari, qui suam iustitiam
 querunt, id est, a seipsis iustificari volunt;
 hoc ille inuertit, Dei dono iustificari non
 posse, qui in seipsis iustificari volunt; vt sic
 Dei donum penitus eludat, ipsamque Dei
 iustitiam prorsus euerat. Qui enim homini
 impio alienam iustitiam imputat, nullam
 iustitiam dono dat: tum quia talis in seipso
 impius est, ideoque nullam iustitiam accepit; tum
 quia quæ impütatur iustitia, non datur. Nam si
 datur iustitia, accipitur: si accipitur iustitia,
 habet illi qui eam accepit, iamque in seipso
 iustificabitur. Tenemus iam Caluini impo-
 sitam, qua vtrumque sententiæ Apostolicæ
 membrum inuertitur. Dei iustitiam, quam
 Dei donum esse Paulus intelligit, a Deo non
 datur concludit: hominü iustitiam, quã homi-
 nes a seipsis petunt, iustitiæ Dei oppositam,
 transfert in illam iustitiam quam homines
 in seipsis Dei beneficio habent; vt ita Dei
 iustitiam, quæ a Deo datur, penitus eua-
 cuet.

Apostoli-
 ca doctri-
 na corru-
 prela Cal-
 uiniana.

Imputati-
 ua iustitiæ
 nulla iu-
 stitiæ.

Nunc quæ sit iustitia Dei quam Paulus
 sic statuit, & quæ iustitia humana quam
 Qq 2 Paulus

Serm. 13.
de verb.
Apostoli.
Iustitia
Dei & ho-
minum
ex Pauli
sententia.

Paulus reijcit, relicto impostore Caluino, et
sanctissimo Augustino docebitur. Commem-
dat (inquit) hac assidue Apostolus, commendat
fidem Gentilibus, qua fide impetrant adiutorium
ut impleant legem, non per legem, sed vires implendi
impetrantes per fidem: ad hoc assidue additur et
commendat ista Apostolus, propter Iudeos qui de le-
ge gloriabantur, & libero suo arbitrio legem se ipsos
arbitrabantur. Ac per hoc quia libero suo arbitrio le-
gem arbitrabantur, ignorantes Dei iustitiam, id est,
ex fide iustitiam datam à Domino (non impetra-
tam à Deo) & suam volentes statuere, quasi sua
viribus impletam, non dante fide impetratam, ius-
titie Dei, sicut dicit, non sunt subiecti. Hæc Aug-
ust. Iustitiam Dei exponit, quæ mediante
fide datur à Christo; nõ quæ est ipsius Christi
imputata à Deo. Iustitiam propriam vocat,
proprijs viribus sola doctrina legis accepta
impletam. Sed alio in loco apertius: Ap-
ostolus (inquit) non habeo meam iustitiam, sed eam quæ
est per fidem Christi, iustitiã ex Deo, iustitiã (inquit)
ex Deo qui iustificat impium. Tolle te: tolle, inquam,
te à te, impedis te: si tu te edificas, ruïnã edificas.
Noli velle habere iustitiam tuam. Certè ex lege est,
& Deus dedit legem; & quia iustitia ex lege est, non
sit tua. Tuam iustitiam noli habere. Stercora illam
deputat Apostolus: quamuis sit ex lege, tamen quia
sua. Tota hæc hæc hactenus oratio Caluini
placebit. Audiunt negari iustitiam propriam,
idque ex lege. Audiunt commendari iustiti-
am ex Deo, ex Deo (inquam) qui iustificat
impium

Serm. 15.
de verb.
Apost.

Clamabunt igitur, nihil aliud do-
 cere Caluinum quam quod Augustinus, imò
 quod Apostolus docuit: nempe imputari no-
 nis iustitiam, ex legis autem obseruatione
 nulla haberi posse iustitiam, quia hæc pro-
 pria cuiusque est, illa iustitia Dei est. Sed
 uolunt quæ in Augustino adhuc sequuntur,
 ut longè aliud ab Apostolo & Augustino do-
 cere deprehendent. Prosequitur August. &
 dicit: Ignorantes enim Dei iustitiam, & suam vo-
 luntates constituere, iustitia Dei non sunt subiecti. Noli
 curare, quia Christianus vocaris, ideo te non posse
 offendere in lapidem offensionis. Cuius gratia de-
 roge, in ipsum offendis. Iustitia sit, sed ex gratia sit,
 a Deo tibi sit, non tua sit. Sacerdotes (inquit) tui
 commendatur iustitiam. Vestis accipitur, non cum ea
 nascitur. Pecora de suo vestiuntur. Hanc præ-
 dicat Apostolus Paulus, à Deo tibi sit. Gemen-
 tes, plora ut impetres, crede ut impetres. A-
 petere rem explicuit. Commendatur iustitia
 Dei, nempe quæ ex gratia Dei orantibus &
 credentibus datur, non quæ imputatur; de
 qua imputata Christi iustitia nec Augusti-
 nus nec ullus vnquã in Ecclesia Doctor lo-
 quutus est. Cum impio Luthero nata illa
 vox est. Reprobatur iustitia propria quæ abs-
 que gratia præsumitur: asseritur tamen iu-
 stitia propria quæ ex gratia confertur. Hac
 induimur quasi veste nuptiali, ne fortè venien-
 te Patre-familias ut videat discumbentes, ^{Matth.}
 si nudi & non vestiti inuenimur, eijciamur ^{22. 12.}

Q 93 in tone-

in tenebras exteriores. Pecora de suo vestiuntur: homines sine fide Christi moraliter viventes, de suo ornantur, in semetipsis laudem habent, non apud Deum. Iustitia Christianæ vestis nec nascitur cum capillis, nec ex naturæ igniculis ac propensionibus perficitur, ut Philosophi ac Pelagiani dogmatizabant; nec externa quædam iustitia denominatio est, quatenus aliunde imputata, ut hæretici hodie somniant; sed est

Ephes. 2. *illa nova creatura qualis in Christo creati sumus in operibus bonis, ut ambulemus in illis: quæ ut induimur, & quæ nobis verè inhaeret: quod adhuc in sequentibus magis explicat Augu-*

Ser. 15. de *stinus. Paulus (inquit) qui de iustitia loquebatur*
ver. Apolt *non sua, sed illa quæ ex Deo est, ibi nominatur*

Philip. 3. *tutem resurrectionis Christi. Iustitiam, inquit, et fide, ad cognoscendum eum, & virtutem resurrectionis eius. Agnosce ibi iustificationem tuam. Ex illius enim resurrectione iustificamur, tanquàm à petra circumcidamur. Propterea inde cepit, Nos sumus circumcisi qui spiritu servimus Deo. Hanc ergo iustificationem & habeamus in quantum habemus, & augetur in quantum minoris sumus, & perficiamus cum illuc venerimus ubi dicitur, Vbi est, mors, victoria tua. Sed totum ex Deo: non tamen quasi dormientes, non quasi non conemur, non quasi ut non velimus. Non voluntate tua non erit in te iustitia Dei. Voluntas quidem non est nisi tua: iustitia non est nisi Dei. Esse potest iustitia Dei sine voluntate tua, sed non esse non potest nisi per voluntatem tuam. Demon-*

est tibi quid agere debeas, insit lex. Si tibi est
 intellexisti quid facias; roga ut facias, si cognos-
 virtutem resurrectionis Christi. Traditus enim
 propter delicta nostra, & resurrexit propter iusti-
 tiam nostram: id est, ut iustificet nos, & iu-
 stificat nos. Eris opus Dei, non solum quia homo
 sed etiam quia iustus es. Melius est enim iustum
 quam te hominem esse. Si hominem te fecit Deus,
 iustum tu te facis, melius aliquid facis quam
 fecit Deus. Sed sine te fecit te Deus. Qui ergo
 te sine te, non te iustificat sine te. Ergo se-
 nescientem, iustificat volentem. Tamen ipse iu-
 stificat, ne sit iustitia tua, ne redeas ad damna, ad
 incrementa, ad stercora. Hæc August. Sic iusti-
 tiam propriam, quæ à nobis ipsis est, contra
 Pelagianos exagitat, ut tamen iustitiam
 propriam quæ in nobis est ex gratia Dei, &
 cum nos cooperamur, contra Calvinum sta-
 biliat. Idem alibi docet, hunc ipsum Pauli
 locum exponens: Suam iustitiam volentes con-
 ptere, dicit de Iudeis Paulus, quæ iustitia est ex
 lege, non quæ lex ab ipsis est constituta, sed in lege
 quæ ex Deo est, suam iustitiam constituerunt, quæ
 eundem legem suis viribus se implere posse credebant,
 ignorantes Dei iustitiam, non quæ iustitia Deus in-
 ius est, sed quæ iustitia est homini ex Deo. & pau-
 lo post: Ignorantes Dei iustitiam, id est, quæ est ex
 Deo. Hanc enim dat non litera occidens, sed viuificans
 spiritus. Hæc iterum celeberrimus & in do-
 ctina Apostolica exercitatissimus Doctor
 sanctus Augustinus.

De grat.
 & libero
 arbitrio
 cap. 12.

Q94

4. Finis

4. Finisenim legis Christus ad iustitiam omni credenti.

QUUM his verbis veram causam aperiat
 Apostolus, cur Iudæi, sectando legis iusti-
 tiam, in legem iustitiae non peruenerint, & cur, ius-
 titiam suam statuere volentes, iustitia Dei non sunt
 subiecti; hanc veram causam artificiosè in-
 uertit & auertit Calvinus, vt aliam à suis ad-
 inuentam callidè introducat, quasiq; ger-
 manâ prolem suffuratus, supposititiū suum
 fœrum sagarum more obrudat. Occurrit (in-
 quit) obiectioni Apostolus qua contra moueri po-
 rat. Videri enim poterant Iudæi rectam viam tenuisse,
 quia in legis iustitiam incubuerant. Hanc falsam opi-
 nionem refellere necesse habuit, quod h'c facit. Hæc
 hactenus rectè. Nunc fraudem aduerte. In-
 dicat enim legis preposterum interpretem esse, qui per
 eius opera iustificari querit. h'c fallit, hic impo-
 nit lectori Calvinus. Non ideo Iudæi rectam
 viam non tenuerunt in legis iustitiam in-
 incumbendo, quia per opera legis iustificari vo-
 lebant, sed quia sine fide & gratia Christi per
 opera legis iustificari se posse existimabant,
 quia suam iustitiã statuere volebant, nõ Dei iustitiã.
 Quæ omnia superius ostensa sunt; nec in his
 verbis hoc Paulus agit, sed causam dare vult,
 cur absque fide Christi iustitiam legis assequi
 non poterant, vt cūque in eam incumberent.
 Nempe quia Christus est finis & perfectio
 legis ad iustitiam omni credenti, id est, lex ad ius-
 titiam

Caluini
 impostura
 adugetur

Fidei ne-
 cessitas ad
 iustitiam
 legis pro-
 batur.

nam non perficitur neque impletur, nisi credente in Christum, & per gratiam Christi. sicuti postea latius explicabimus. Per nos nunc in Caluini corruptelis à textu apostolico longissimè abarcendis. Volens addere quod dixerat, subnectit: Quoniam in

lex data est, que nos ad aliam iustitiam manuducit. Iterum fallit impostor. Data est lex ad vitam (vt suprâ Apostolus dixit) & vt, qui in ea, viueret in ea; sicut statim dicit. Hec est finis legis datæ, & ob quem lex est data: sed hæc nõ est virtus, facultas, aut efficacia legis datæ. Lex non est data vt iustificaret; id est, vt sua vi, sua sola externa doctrina (qua tantum iubet, docet, cõminatur, promittit) possit hominem iustum corâ Deo reddere, id est, efficere possit vt homo iustè viuat. Quare lex est quidè pædagogus ad salutem, sed ipse salutem non adfert; quia per eius doctrinam seruari mandata non possunt, vt seruando mandata vitam æternam habeamus. Quare lex manuducit nos qui-

Impositura Caluini alia. Rõ. 7. 10. Iacta v. 5.

Gal. 3. 21. Lex quomodo ad vitam data.

Lex quomodo pædagogus ad Christum

dem ad Christum, vt, eius gratia per fidem impetrata, legem possimus implere (quod ipse in docuit S. Augustinus) sed non manuducit nos ad aliam iustitiam, vt vafre & fallaciously affirmat Caluinus, vicinitate verborum legorem decipiens. Manuducit lex ad Christum, & ad gratiam Christi, vt, ea in nobis operante, iustitia legis impleatur. Ideo quippe (ait Augustinus) proponitur iustitia legis, quod

De Spir & lit. cap. 28.

Qui

qui fecerit eam, viuet in ea; vt cum quisque in-
 ratem suam cognouerit, non per suas vires, nec
 per literam ipsius legis (quod fieri non potest) sed per
 fidem concilians iustificatorem, proueniat, & saluetur,
 & viuat in ea. Non manuducit lex ad aliam

Lex non
 mandu-
 cit ad ali-
 am iusti-
 tiam quam
 ipsius legis
 iustitiam.
 Ibidem
 esp. 29.

iustitiam quam quæ ipsius legis iustitia est,
 quia manuducit ad Christum, cuius gratia
 lex impletur, & legis iustitia comparatur. Sic
 enim lex non euacuatur sed statuitur per fidem (ait
 Augustinus) quia fides impetrat gratiam qua lex
 impletur. Si fides impetrat gratiam qua lex
 impletur, & lex manuducit ad fidem, quæ
 manuducit ad Christum; profectò non ad
 aliam iustitiam, sed ad ipsam iustitiæ, quam
 lex docet, debitam obseruationem lex ma-
 nuducit.

Sed pergamus cum Caluino: Imò quicquid
 doceat lex, quicquid præcipiat, quicquid promittat,
 semper Christum habet pro scopo; ergo in ipsum dirigende
 sunt omnes partes. Verum hoc totum est,
 quia fides in Christum intelligit, quicquid
 lex docet: gratia Christi implet & facit, quic-
 quid lex præcipit: meritum Christi præstat
 & exhibet, quicquid lex promittit. Sic semper
 Christum habet pro scopo. Sed alius est
 Caluini sensus; ait enim: Id autem fieri nequit,
 quin omni iustitia spoliati, peccati agnitione in-
 fusi, ab ipso vno iustitiam gratiam petamus.
 Vult ergo neminem Christum pro fine ac
 scopo habere posse, nisi qui turpiter ac se-
 leratè viuat, vt omni virtute vacuus à Chri-
 sto.

Lex quo-
 modo
 Christi
 habet pro
 scopo.

iustitiam expectet. Vult Christu sic esse
 legis, vt lex ipsa à nemine per gratiam
 Christi impleatur; vt cum perpetua legis
 transgressione, in perpetuo statu peccati, no-
 tam perpetuam turpitudinem profitentes,
 nullam in nobis ipsis honestatem aut iusti-
 tiam colamus, sed gratuitam à Christo iusti-
 tiam petamus; & eam, quæ in illo erat, no-
 bis imputari rogemus. Aduersatur hic sensus
 non communi tantum piorum sensui, sed
 multis Scripturis Euangelicis & Apосто-
 licis, quæ Christi aduentum & gratiam in eo
 persissimum describunt, vt omni deposito
 peccati affectu, vel (vt cum Apostolo certius
 loquamur) vt omnem abnegantes impietatem &
 carnalia desideria, sobrie, iuste, & pie viuamus in
 hoc seculo: quod est omnem iustitiam legis
 veritate obseruare, quando quicquid sobrie,
 iuste, ac pie faciendum est, lex diuina doceat
 atque precipiat. Absurda ergo & impia hac-
 tenus Calvinus dixit.

Nec minus vel absurda vel impia quæ se-
 quuntur. Iudaos (inquit) legem turpiter muti-
 casse apparet, qui, reiecta eius anima, mortuum lite-
 rarum corpus arripuerint. Verum quidem hoc de
 Iudeis est. Sed quomodo literarum corpus mor-
 tuum arripuerint, anima legis reiecta, ab-
 surdissime Calvinus explicat. Quamuis enim
 (inquit) mercedem lex iustitiae suæ obseruatoribus
 promittat; postquam tamen omnes in reatum conie-
 cit, nouam substituit in Christo iustitiam, quæ ope-
 rans

Caluini
 impius &
 & Epica-
 reus sen-
 sus.

Christi ad
 uentus vt
 legem im-
 pleamus.

rum meritis non acquiritur, sed gratis donata fide recipitur. Ita fidei iustitia (quemadmodum videmus primo capite) testimonium à lege habet. Sic iuxta Calvinum corpus literæ legis est, mercedem promittere obseruatoribus iustitiæ suæ: anima eius est, omnes in reatum conijcere, & nouam in Christo substituere iustitiam, quæ gratis donata fide accipiatur. Hoc alijs ver-

Lex iuxta
Caluinū
mentitur.

bis ita efferri potest: Corpus literæ legis est purum mendaciū, fallax & falsa promissio. Quam enim promittit obseruatoribus iustitiæ suæ mercedem, illam adeo non præstat, vt huiusmodi obseruatores in reatum conijciat, id est, certæ damnationi subijciat. Ita non solum lex mendax ac fallax erit, vt suas Manichæus blasphemias authore Caluino audacter iterum obtrudat, sed & mendax Apostolus erit, qui, vt supra cap. 7. accepimus, magno studio & conatu legem ab iniquitate & mendacio asseruit. Falsum denique erit quod disertis verbis pronunciauit; *Fal-*

Rom. 2.

res legis iustificabuntur. Iam enim secundum Caluinū factores & obseruatores legis in reatum conijciuntur, idque ab ipsa lege; atque adeo, vt hic effectus anima legis sit. Hæc sunt potentosa Caluini paradoxa. Quod lex nouam

Lex non
substituit
nouam iu-
stitiam
absque o-
perum
meritis.

substituat iustitiam, quæ absque operum meritis gratis donata fide recipiatur, multipliciter quoque falsum & absurdum. Neque enim aut lex aliquā nouam substituit iustitiam, aut lex ostensum, sed Christi gratia; nec hæc noua i-

iustitia absque operum meritis acquiritur,
 per operum merita tam acquiritur quam
 meretur; noua, inquam, illa iustitia, quam
 gratis gratia in credentibus operatur, dum,
 quod lex iubet, illa implere facit. Opus enim
 (Augustinus) quod qui fecerit, uiuet in eo, non
 est ad iustificato. Iustificatio autem ex fide impe-
 ritur. Est quidem alia noua iustitia gratis
 operata, qua iustificatur impius, quæ ope-
 rum meritis non acquiritur: sed illa cum iu-
 stitia legis nihil commune habet: nec de illa
 Paulus hoc loco disputat, quum ait, *Christum
 quæ sit legem ad iustitiam omni credenti. Quum
 enim dicit, omni credenti, intelligit omni iam
 et fide iustificato. Huiusmodi enim iam
 credenti, iam iustificato, Christus est finis
 legis ad iustitiam; id est, Christus per suam
 gratiam est perfectio & complementum
 legis ad iustitiam: vel (quod planius dicitur)
 licet perficere & implere legem, ut iustitiæ
 uite consequatur executio, augmentum,
 atque perfectio. Sic hæc uerba explicantem
 adhibemus nunc Augustinum, & contra cor-
 ruptelas Calvinianas hunc adhibeamus ad-
 versus. Ipsum (inquit) Non concupisces, & cæ-
 tera mandata legis sancta & bona, sibi tribuebant
 iudei; quæ ut possit homo facere, Deus operatur
 in homine per fidem Iesu Christi, qui finis legis est
 ad iustitiam omni credenti, id est, cui per Spiritum
 sanctum operatus, factusq; membrum eius, potest quis-
 que illo incrementum intrinsecus dante operari iu-
 stitiam.*

De Spir. &
lit. cap. 29.

Christus
quomodo
finis legis
ad iustitiam

De Spir. &
lit. cap. 29.

stiam. Sic & hoc sensu finis legis Christi-
 est ad iustitiam, quia facit Christus imple-
 legem ad iustitiam. Facit autem Spiritus
 gratiæ suæ, quem credentibus impertit. Sic
 1. Tim. 1. alibi ab Apostolo dicitur, *Finis præcepti chari-
 tas*, quia videlicet facit charitas ut præcep-
 tum impleatur: quo etiam sensu iterum di-
 xit, *Plenitudo legis dilectio*: de quibus verbis
 postea cum Caluino luctandum erit. Quo-
 modo verò fidei iustitia à lege testimonium
 habeat, supra contra Caluinum cap. 2. di-
 putauimus.

5. *Moses enim scripsit, quoniam iustitiam quæ
 ex lege est, qui secerit homo, viuet in ea. Quæ
 6. autem ex fide est iustitia, sic dicit: Ne discas
 in corde tuo, Quis ascendet in caluum? aut
 Christum deducere. Aut quis descendet in
 abyssum? hoc est Christum à mortuis reuocare.
 Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum
 7. in ore tuo, & in corde tuo. Hoc est verbum
 8. fidei quod prædicamus.*

PLacuit hic vnus locus supra modum
 Caluino, qui de eo gloriabundus hinc
 in modum in sua Institutione scribit: *Lex
 insignis, & qui nos à multis difficultatibus explicat
 queat, si intelligamus, eam, quæ nobis per Euangeli-
 um datur, iustitiam, legis conditionibus selectam
 esse. Vides enim quod legis & Euangelij discrimen
 hic facit Apostolus, quod illa operibus iustitiam
 buat, hæc citra operum subsidium gratiam tribuit*

Lib. 3. c.
 11. n. 17.

largiatur. Hæc ille ibi. Vnde & in suis
 commentarijs accuratissimè magna que
 serie & astutia hunc textum pertractat,
 discrimen illud legis & Euangelij, omni-
 modie sectarijs & bonorum operum ho-
 iuratis tantopere adamatum, ex eo
 uat, stabiliat, atque corroboret. Cate-
 hic vnus locus, vt & tota hætenus B.
 ptopoli disputatio, discriminè istud impium
 Epicureū (hæreticorum hodie proprium
 mentum) adèd non statuit, vt euertat.
 igitur verum & germanum Apo-
 sententiæ sensum enucleabimus; po-
 toxico Caluiniano suam Antidotum
 nemus, Postquam Apostolus Iudæo-
 carnalium & Christi Euangelio relu-
 maximum peccatum & errorem
 in parte cum Gætibus communem per-
 xisset, quòd ignorantes Dei iustitiam, id est,
 quæ ex Deo est, eiusque gratia ac dono, &
 quæ quærentes statuere, id est, ea sola con-
 tati, & in ea sola sibi placentes, quam ex le-
 acceptæ doctrina suisque naturæ viribus
 atare poterant; hanc prorsus ob causam
 Dei in Euangelio reuelatæ nō essent sub-
 id est, eius participes non erant, ei se
 sperere nolebant; moxq; hoc eorum pec-
 atum atque errorem hoc argumento im-
 pugnasset, quia finis legis Christus est ad iustitiā
 credenti, id est, lex à Deo data perfici &
 pleri non potest ad veram coram Deo iu-
 stitiam

Loci sensus
 germanus.

stitiam consequendam absque fide in Christi-
 stum, & absque gratia Christi; hoc suum ar-
 gumentum, quod Iudæis adhuc in Christum
 credere recusantibus paradoxum videbatur,
 ex Moysis quadam sententia (cuius illi ver-
 bis libenter credebant) confirmat Apo-
 stolus, dicens: *Moyses enim* (quem Iudæi libenter
 audiunt) tanquam legislator scripsit, quod
 (vel quòd) *iustitiam qua ex lege est, qui fecerit ho-*
mo, viuet in ea: id est, iustitia quæ ex lege est,
 quæ solo beneficio legis comparatur, aliam
 vocem non habet, nisi iubendi, mandandi
 promittendi factori vitæ præmium, trans-
 gressori mortis supplicium. *Qui fecerit homo,*
viuet in ea. Hæc eius vox, hoc mandatum,
 hæc pollicitatio est. Sic per Moysen Deus
 Deu. 18. 5. loquebatur: *Ego Dominus Deus vester. Co-*
dicite leges meas acque iudicia, qua faciens homo
viuet in eis. Hic est mandatum & adiuncta pro-
 missio. Hæc est tota vox legis. In qua vox
 altera intelligitur antithesis de transgredien-
 tibus eam: *Maledictus omnis qui nõ permanferit*
 Deut. 27. *omnibus qua scripta sunt in libro hoc*. Nam & in
 Gal. 3. fine eiusdem capituli, post varia à Deo man-
 data proposita, concludit Deus: *Omni anima*
 Ienit. *que fecerit de abominationibus his quippia, perit*
 18. 29. *de medio populi sui*. Hæc est ergo tota iustitia
 Iustitia ex *ex lege, id est, ex voce & doctrina legis, sine*
 lege & iu- *quam lex suo proprio officio ac munere ef-*
 stitia legis *ficere potest; nempe vt doceat, mandet,*
promittat, terreat. Est, inquam, tota iustitia

ex lege, non tota iustitia legis. Cuius la-
discrimen his verbis docet Augustinus.
(inquit) quodam modo sed tamen vero iusti-
legis non implet iustitia qua in lege vel ex lege
qua ex Spiritu gratia est. Quod plinius &
ita dici potest: Iustitiam legis non impleri
lex iubet, & homo quasi suis viribus facit,
quando Spiritus adiuvat. Legis enim iustitia est ius-
quod Deo placet, vetare quod displicet. In lege vel
iustitia est seruire litera, & extra eam nullum
ad iustitiam ad recte viuendum requirere. Rursum
in loco: Tantum inter legem distat & gra-
tia, ut cum lex esse non dubitetur a Deo, iustitia ra-
tione ex lege est, non sit a Deo; sed iustitia qua
gratiam consummatur, ex Deo est: quia ex lege
iustitia dicitur, qua fit propter legis mandatum; tu-
ex Deo dicitur, qua datur per gratie beneficium,
quod sit terribile sed suaue mandatum. Hæc ite-
Augustinus. Distinguendo inter iusti-
tam legis & iustitiam ex lege, siue in lege, sa-
penter docet quomodo Apostolus iuxta
Moyse dixerit, Iustitiam qua ex lege est, qui
homo, viuet in ea: nempe iustitiam qua
ex lege est, ita loqui, ita proponi, ita sonare,
qui fecit eam, viuet in ea. Sed quia ex hac vna
doctrina legis, iustitia legis non imple-
tur, audienda est alia vox iustitiæ qua est ex fi-
de, & non ex sola lege. Hæc ex fide iustitiam ex
quoque Moyse docere volens Apostolus
neque enim illa spirituales Iudæi ignorave-
rat, sed ex ea vixerant) & per gratiam Christi

Contra 2.
epist. Fel.
lib. 3 c. 7.

De gratia
Christi
cap. 13.

Act. 15. 11

Rr saluati

saluati sunt, sicut & nos, vt Petrus in Actis proficitur, nosque eo loco latè explicauimus ita prosequitur: *Qua autem ex fide est iustitia, sic dicitur, id est, de iustitia ex fide sic dicitur, sic apud Moysen scribitur: Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in caelum?* id est: Ne putes totam hanc legem mandatorum, quam tibi proposui, sic esse difficilem, vt vires humanas omnino superer, quasi que in caelum conscendendum sit vt impleatur; nec vllum in terra medium aut adiutorium sit, quo impleri possit. Sic enim latius & apertius apud Moysè legimus:

Deuter.
30. 11.

Mandatum quod ego precipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in caelo situm, vt possis dicere, Quis nostrum valet ad caelum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atque opere compleamus? Disertè affirmat Moyses, mandatum & legem nō fuisse à Iudæis ita procul positam, vt opere compleri nequeat. Affirmat, non esse quod cogitent quasi in caelum esse conscendendum, vt illud opere compleant. Cuius dicitur Mosaico addit hinc Apostolus, veluti eius causam & rationem à spiritualibus iam Iudæis non ignoratam, id est Christum deducens.

Gratiae
Christi ad
seruandā
legem ne-
gatio
Christum
incarn.
negat.
Deuter.
30. 11.

Hoc est, id esset Christum incarnatum negare, & iterum è caelo euocare. Christi quippe nunc incarnati & olim incarnandi fides vllum gratiae Spiritum adfert, quo lex impletur. Prosequitur adhuc ex Moysè Paulus: *quis descendet in abyssum?* quod apud Moysen verba præallegata continuantem sic legimus:

que trans mare positum, ut causeris & dicas, Quis
 nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos
 deferre, ut possimus audire & facere quod præ-
 ceptum est? Quæ verba sub alia metaphora
 eundem sensum habent cum prioribus, vide-
 licet ne causerentur Iudæi legis, quam acce-
 perant, observandæ difficultatem aut impos-
 sibilitatem, quasi illam opere complere, res
 esset ab illis remotissima; veluti quæ trans-
 marina sunt, ad obtinendum difficiliora esse
 solent. Quod *abyssum* hîc Paulus vocat, apud
 Moysen mare vocatur. Ad hanc igitur se-
 cundæ querimoniæ metaphoram iterû sub-
 iungit Paulus: *Hoc est Christum à mortuis reuo-
 care* id est, Christi resurrectionem in dubium
 vocare; quando ille sicut mortuus est propter de-
 licta nostra, ita resurrexit propter iustificationem no-
 stram, videlicet, ut iustificatio legis impleretur in
 nobis, sicut paulò post idem Apostolus loqui-
 tur. Hac igitur duplici, quam remouet Moy-
 ses, querimonia concisis verbis ab Apostolo
 recitata, & vtriusque absurditate ab Aposto-
 lo reiecta, pergit Apostolus in sequentibus
 Moysi verbis, quæ propriè ad rem præsen-
 tem faciunt, proferendis. *Sed quid dicit Scri-
 ptura* scilicet, Moysaica loco eodem: *Pro-
 pter est verbum tuum in ore tuo, & in corde tuo.*
 Vel, ut apud Moysen legimus, *Sed iuxta te*
est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo (vbi 70. 10. 14.
 interpretes addunt, & in manibus tuis) ut facias
 id est, Sermo seu mandatum quod ego
 præ-

R r 2 / præ-

Mandati
facilitatē
docet
Moyfes.

præcipio tibi, siue tota hæc lex mandatorum, totus hic sermo, est valde iuxta, id est, valde facilis tibi est, vt facias & opere compleas illum; (hebraismus est, quo ea iuxta nos esse dicuntur quæ præstò nobis sunt, quâsque in potestate nostra posita) tum in ore tuo, tum in corde tuo; non solum vt profitearis te facturum, sed & verè ac sincerè facias. Apollolus verò, volens ostendere vnde hæc facilitas & promptitudo exequendi legem iuxta Moysem in Iudæis erat, addit: *Hoc est verbum fidei quod prædicamus*, id est, hanc ex fide iustitiam, qua lex suauiter & faciliter impletur, prædicamus. Illam ex fide iustitiam, quam Moyse hic Iudæos olim docuit, nos quoque docemus & prædicamus. Neq; enim quum Moyse hæc Iudæis dicebat, existimandum est eum ita dixisse, quasi ex solo naturæ benedictione mandatum tam iuxta Iudæos esset, tam vicinum tam propinquum, tam facile, tam præstò ad exequendum: sed hoc totum dixit Moyse de iustitia ex fide, & ex dono Dei.

Sed dicat aliquis: Vnde constat hoc senum Moyse ista dixisse? Neque enim aliquid in Moyse sequitur de Dei dono, aut de gratia Spiritus quæ credentibus datur. Imò quæ apud Moysem sequuntur, nihil nisi liberam eorum voluntatem ad obsequendum legi in formant. Verum sanè hoc totum est: articulum in eodem capite, & verbis paulò præcedentibus, hanc Dei gratiam, quæ facit mandatum

Dei gratiã
qua man-
datum fit
facile, do-
cet Moy-
ses.

atum ita iuxta nos esse, ita facile, suaue,
 et iucundum, Moyses disertè expresserat.
circumcider (inquit) Dominus cor tuum, & cor se- Deuter.
cutu tuo, vt diligas Dominum Deum tuum in toto 30.6
corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere, id
est, vt diligendo Deū, faciās legē, & faciendo
legem, viuas in ea. Hæc videlicet est circumcisio Rom. 2.
in spiritu, cuius laus non ex hominibus sed ex
Deo est. Hæc est propriè gratia Christi, non Phil. 3. 5.
data veteribus quàm nobis. Nos sumus
circumcisio (ait alibi Paulus) videlicet spiritu, non
carne, qui spiritu seruimus Deo. Huiusmodi
ergo iudæis iam corde circūcisis, Deumq̃;
in corde diligentibus, loquens Moyses,
versimilè dixit: Propè est verbum in ore tuo, &
in corde tuo. In illis quippe erat verbū fidei quod
prædicauerunt; in illis erat gratia Christi, &
gratia ex fide, non ex lege tantum. Vnde hæc
verba de circumcissione cordis, quam Moy- De nat. &
ses scripsit, tractans B. Augustinus, ait: Con- grat. c. 69.
uersus quisque, sicut ibi præcipitur, ad Dominum
Deum suum ex toto corde suo, mandatum Dei non
habebit graue. Quomodo enim est graue, quum sit
mandatum? Aut enim quisque non dili-
git, & ideo graue est; aut diligit, & graue esse non
possit. Hæc illè. Denique totum hunc præ-
dicem Apostoli locum sapienter expendēs
idem alibi clarissimus Doctor, ita scribit:
ibi proponitur iustitia legis, quòd, qui fecerit eam, De Spir. &
non in illa; vt cum quisque infirmitatem suam lit. cap. 28.
propauerit, non per suas vires, non per literam ip-
sius

Rr 3 sius

sus legis (quod fieri non potest) sed per fidem concilians iustificatorem, præueniat, & faciat, & vivat in ea. Opus enim, quod qui fecerit, vivet in eo, non fit nisi à iustificato. Iustificatio autem ex fide impetratur: de qua scriptum est, Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in celum? hoc est Christum delectare. Aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum à mortuis reducere. Sed quid dicit? Prope te est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est (inquit) verbum fidei quod prædicamus: quia si confiteamur in ore tuo quia Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo quia Deus illum suscitavit à mortuis, solus eris: intantum iustus, inquantum saluus. Per hanc enim fidem credimus, quòd etiam nos Deus à mortuis excitet interim spiritu, ut in novitate nostræ gratia temperanter, & iuste, & piè vivamus in hoc seculo: post etiam in carne nostra ad immortalitatem resurrecturi: quod meritum Spiritus est, qui cum in resurrectione sibi congrua, hoc est, in iustificatione præcedit. Hæc ibi Augustinus. Docet, iuxta explicationem à nobis præmissam, legem quidem proponi, non quòd ea proposita & audita quenquam ad iustitiam, id est, ad legis observationem perducatur; sed ut nostra per legis literam occidentem, non vivificantem infirmitate perspecta, per fidem in Christum conciliemus iustificatorem; id est, eum nobis propitium faciamus, qui solus iustificat impium, & à iustificato legem implere facit, ut vivat in eo: denique hoc isto loco Moysem & Paulum docuisse, legem ideo esse iuxta nos iam credentes

Regeneratio duplex.

Rom. 4.

in Christum, quia credentibus datur no-
uitas gratiae, vt iustè ac piè viuamus. Ita hic
maximè locus iustitiam bonorum operum
docet, sed quæ ex fide fiat, non ex sola audita
et cognita lege. Hic huius loci sensus perspi-
uus atque germanus est.

Nunc, vt Calvinus hunc locum tractet,

videamus. *Vt apparet* (inquit) *quantopere in-*
ter se pugnent iustitia fidei & operum iustitia, eas
inter se confert. Comparatione enim magis elu-

*Caluini
impostura
duplex.*

siu repugnantia qua est inter res contrarias. Hæc
prima eius impostura est, eaque duplex, qua

1.

lectorem fallit. Non confert inter se Apo-
stolus iustitiam fidei, & iustitiam operum; sed ius-
titiam ex fide, & iustitiam qua ex lege est: quæ
quantum à iustitia operum & iustitia legis
differt, iam ex Augustino explicatum dedi-

2.
*iustitia ex
lege non
est contra-
ria iustitie
fidei.*

mus. Tum non hæc duo inter se confert ve-
luti contraria aut repugnantia, sed vt diuer-
sa, & veluti perfectum ab imperfecto distin-
git, alteriusque præ altera excellentiam do-
cet. Vox enim illa legalis, Qui fecerit legem ho-

mo, viuet in ea, non est vox falsa aut mala, aut
ad veram iustitiam impertinens (nam &
Christus in Euangelio ita loquitur, Hoc fac, Lus. 10.
& viuet) sed est vox adhuc imperfecta aut in-

sufficiens ad veram iustitiam consequendam
sine gratia & fide Mediatoris. Israel, sectando
legem iustitie, in legem iustitie non peruenit. Quare?
An quia legem iustitie sectabantur, quasi hoc
per se malum aut impertinens esset ad veram

R r 4 iusti-

iustitiam: Nihil minùs, sed quia malo modo
sectabantur. Audiatur Apostolus. Quia (in-

De Spir. &
lit. c. 28.

quit) non ex fide, sed quasi ex operibus, id est, (ait
B. Augustinus) tanquam hanc legem iustitia per
semetipsos operantes, non in se credentes operari
Deum. Cur enim hoc dixerit, ipse Apostolus aper-
tissime exposuit dicens, Ignorantes Dei iustitiam, et
suam volentes constituere, iustitia Dei non sunt sub-
iecti. Iustitiæ ergo fidei contraria est ipsa inius-
titia: sed à iustitiâ fidei abest & deficit, qui hu-
manam solum iustitiâ ex solis operibus sine
fide & gratia Mediatoris exercet. Aliud est non

In exposit
epist. ad
Gal. cap. 3

iustificari (ait alibi Augustinus) aliud non iustifi-
cari apud Deum. Qui omnino non iustificatur, nec
illa seruat qua temporale habent premium, nec illa
qua æternum: qui autem in operibus iustificatio
(absque fide & gratia Mediatoris) non apud
Deum iustificatur, ut de Abraham dicitur in
Rom. 4. quia temporalem inde expectat mercedem,
sed tamen etiam ista quadam, ut sic dicam, terrena
est carnalisque iustitia. Hæc rursus Augustinus.
Iustitia igitur ex lege, quâ homo ex sola do-
ctrina legis suis naturæ viribus quoquo mo-
do exequitur, non est mera iniustitia, varietas
ex fide iustitiæ contraria, sicut malum bono;
sed est ab eo diuersa, imperfecta, & insuffi-
ciens ad iustificationem coram Deo. Dupli-
citer igitur Calvinus in primis his suis ver-
bis lectori imposuit, sed grauius in eo quod
prius posuit.

Pergit Calvinus: Agit autem Paulus non Pro-
phetarum

...tarum oraculis, sed ipsius Mosis testimonio, ob
 ...nam causam, ut intelligerent Iudaei non esse
 ...a Mose legem quae ipsos in operum fiducia de-
 ...ret, sed quae ad Christum potius duceret. Nam
 ...si Prophetas sanae sententiae curasset, haeberat
 ...hic scrupulus, cur lex aliam iustitiae formulam
 ...beret. Hunc ergo optime discutit, quum ex
 ...legis doctrina stabilit fidei iustitiam. Hoc to-
 ...m ipsaque nuper attigimus, ipsique verita-
 ...conforme est. Sed nunc venena aspergit
 ...a. Perro quod Paulus consentientem facit legem
 ...fide, & tamen illius iustitiam huius iustitiae op-
 ...eius est intelligenda ratio. Animaduertit
 ...Calvinus id quod nuper dixerat, Apo-
 ...iustitiam fidei & iustitiam operum inter se
 ...conferre, ut appareat quantopere inter se pug-
 ...absurdum imprimis hoc nomine videri,
 ...quod Paulus ipse in hac eadem epistola con-
 ...sentientem facit legem cum fide: nempe in fine
 ...cap. 3. vbi dixit: Quid ergo? legem per fidem de-
 ...trimus? Absit: sed legem statuimus. Hanc igitur
 ...etiam & magnam absurditatem (quomodo
 ...eum inter se pugnant, quae ita consentiunt,
 ...vna per alteram statuatur, lex per fidem
 ...impleatur) remouere cupiens Calvinus, eam
 ...proponit, & eius rationem intelligendam esse
 ...ait. Vide nunc & attende, lector, an vllam
 ...eius rationem, quam intelligis, proferat. Lex
 ...inquit) bisariam accipitur. Nunc enim significat
 ...reuerentiam doctrinam à Mose proditam, nunc pariem
 ...illam quae ministerij eius propria erat, quae scilicet
 Rr 5 praeceptis,

Lex cum
 fide con-
 sentit.

preceptis, premijs, & pœnis cōtinetur. Demus Caluino hanc distinctionem, vt lex mādatorum & ceremoniarum ad Moysis ministerium propriè pertineat, & lex Mosaica propriè dicatur: quod sanè quo ad literā forinsecus decentem, iubentem, terrentem, verissimum est. Quomodo ad rem præsentem hanc distinctionem (quam multis verbis prosequitur) accommodet tandem, atque concludat, videamus. Quod ergo (inquit) de iustitia legis dicitur, reserue conuenit non ad totā Moysis functionem (qua totam pietatis regulam, ipsamq; fidem & persistentiam populum erudiebat) sed ad partem istam quæ peculiariter ei commissa fuit, qua preceptis, & premijs, & pœnis continetur, qua restrictè legis nomen habet, & secundum quam tacite opponitur Moysi Christo: vbi Ioannes dicit, Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Christum facta est. Placeat in primis hæc Caluini distinctio, & distinctio nis factæ resolutio. Sed obiectioni propositæ

Rom 3.

neutra satisfacit. Paulus enim quando legem facit consentientem fidei, dicens, Legem per fidem non destrumus, sed statumus, prorsus de lege loquitur strictè accepta, propriè Mosaica, de lege, inquam, mandatorum, qua preceptis, premijs, & pœnis continetur; quod ipsemet Calu-

Ad Rom.

3. 21.

Pauli excusationem, quod legem per fidem non destruit, sed statuit, neque de ceremonijs seorsim, neque de mandatis (vt vocant) moralibus, sed in vniuersum de tota lege accipio. Paulus ergo dum legem si-

consentientē facit, de tota lege mandato-
loquitur, tā ceremoniali quā morali.
namque enim Christus implevit per gra-
tiam quam dedit, & veritatem quam fecit.
legem mandatorum per Moysen datam, sua
gratia facit impleri: legem ceremonialem
per Moysen latā, præstita in suo corpore ve-
ritate implevit. Si ergo tota lex mādatorum
tota iustitia legis per fidem Christi statui-
tur ac roboratur, manet illa absurditas, iusti-
tiam legis & iustitiam fidei inter se pugnare. Sed,
ostensum est, inter se ista duo non pu-
gant: ea inter se pugnare affirmavit absur-
de Calvinus; & absurditatem recognoscens,
eam diluere non valet.

Gratia &
veritas
quomo-
do per
Christum.

Difficul-
tatem à se
propositā
Cal. nos
soluit.

Hic præfatus ad textum venit. Nunc (in-
quit) ad verba ipsa venio. Ex verbis Moysi Leuit.
Qui fecerit ea homo, viuet in ipsis, Paulus sic
arguit: Quum nemo iustitiam à lege præscriptam
consequatur, nisi qui exactè omnes eius partes im-
pleverit, ab ea autem perfectione omnes homines sem-
per longe absuerint; frustra quis ad salutem hac via
concedat. Perperam ergo fecit Israel, qui legis iu-
stitiam speravit se posse adipisci, à qua omnes exclu-
duntur. Vide, Lector, quomodo Scripturam
Apostolicam hæretici deprauant, quomodo
ad sua placita eam impiè contorquent. Ad-
verte quā multa hîc Paulo affingit in hoc
textu Calvinus, quorum nullum in textu
vestigium apparet. Paulus (inquit) sic arguit.
Mentitur: Paulus hoc non arguit. Nemi-

Paulo
multa af-
fingit Cal-
vinus.
Mend. 1.

nera

nem in hac vita iustitiam à lege præscriptam consequi, nisi qui exactè omnes eius partes impleuerit, nec Paulus hoc loco dicit, nec verba Mosaica à Paulo citata dicunt. Verba Moysis, vel potius Dei apud Moysen, hæc sunt: *Custodite leges meas atque iudicia, quæ sciens homo viuet in eis.* Populum illum Dei leges atque iudicia facere oportere, & illa faciendi victurum per ea, Deus dicit. De exacta impletione, aut sine exacta impletione iustitiam neminem consequi, hæc verba non dicunt. Facit Dei leges ac iudicia, eaque sciens viuit in eis, iustificatur per illa, qui illa præstat sicut ea præstari oportet, sicut ab humana fragilitate ea præstari Deus iubet. Exactam per omnes partes adimpletionem in sensu Caluini, qui etiam quodlibet prauum desiderium sine vlllo consensu in mente exortum pro transgressione legis mortifera reputat, nec hic locus nec vlla alia Scriptura præscribit. Hoc eius de Paulo primum mendacium est.

Leuit. 18.

Legē facere iubemur, non exactè perfacere.

Mēdac. 2.

Sequitur crassius ac foedius. Ait Paulum hic arguere, à perfectione legis, qualem Moyses hic docet, omnes homines semper longè abfuisse. Magnum & impium mendacium. Nam ne longè abeamus, hoc ipso in loco apud Moysen sic Deus populum suum alloquitur: *Facietis iudicia mea, & præcepta mea seruabitis, & ambulabitis in eis.* Ego Dominus Deus vester: supple, quod iubente & iuuante illa præstabit. Sed con-

Leuit. 18. 4.

hoc impium Caluini mendacium super
 Apostolorum latè disputauimus. His
 mendacijs superstructa conclusio
 uat necesse est. Non ideo perperam fecit
 quod legis iustitiam sperabat se posse
 adipisci; sed ideo perperam fecit, quia ex
 doctrina legis absq̄ fide & gratia Christi
 sperabat se posse adipisci, quia non ex fi-
 deli quasi ex operibus sectabatur legem iustitiæ,
 quod nuper explicatum dedimus.

Vergamus cum Caluino. Vide (inquit) quo-
modo Paulus à promissione ipsa arguat, nihil eam
prodesse, propter conditionem scilicet impossi-
bilium. Iterum mentitur, Paulum à promissio-
ne arguere, legem nihil nobis prodesse.
Sic argueret Paulus, nihil aliud quàm pro-
missionem esse fallacem, ridiculam, inanem,
et ipsa promissione argueret. Promissio de
lege sic habet: Qui fecerit eam homo, uiuet in ea.
nam qui ex ea sic arguit, Faciendo eã nemo
uiuet ex ea, quia facere legem nemo potest,
si non ille ipsam promissionem fallacem,
inanem, ac ridiculam faciet? Quæro à
Caluino & Calvinistis omnibus, an hæc
promissio inanis, ridicula, ac fallax non
est. Qui euolat in cælum homo, euolando
penetrabit illud, quia illuc euolare nemo
mortalium potest? An Dei promissiones toties
in Scripturis repetitas huiusmodi fallaces,
inanes, ac ridiculas promissiones facimus?
An Paulus sic ex promissione arguere cogita-
bit

Ad. cap.
15. 10.

Mēdac. 2.

Promis-
sionē Dei
fallacē &
ridiculā
Cal. facit.

Rom. 7.
10. & 12.
Ro. 13. 8.

bit sanctus quispiam? Imò B. Paulus disertè
 finè affirmat, mandatū esse sanctum & bonum,
 datū ad vitam; legisq; conditionem impossibi-
 le adeò non facit, vt disertè scribat, *Qui diligunt
 proximum, legem implent.* De quibus eius verbum
 paulò post dicendum erit. Liquida ergo &
 manifesta est Caluini impietas, qui ex ip-
 sius Dei promissione arguere Paulum ait, *illam Dei pro-
 missionem nihil prodesse, quia conditio promissionis
 annexa impossibilis est.* Sanè si promissio aliqua
 magnæ mercedis propter conditionem im-
 possibilem annexam inanis & inutilis foret,
 hæc eius inanitas non à promissione facta,
 sed à conditione annexa, inanis atque inutilis
 argui deberet. Causa, inquam, & ratio ead-
 em talis promissio nihil prodesset, non ab ipsa
 promissione, sed à conditione annexa peten-
 da foret. Verbi gratia: Promittit pater heredi-
 tatem filio, ea conditione vt regnum adie-
 cens patris imperio subiciat. Hæc promissio
 propter conditionem annexam filio impossi-
 ibilem nihil filio prodest. Sic in causa pro-
 mittenti, quum conditio annexa non vitio pro-
 mittentis, sed vitio illorum quibus promit-
 titur vita, impossibilis reddatur (vt hæretici
 impiè supponunt) certè vt Deus promittens
 ab omni temeritatis specie ac suspitione li-
 beretur, (promittere enim quod nunquã pro-
 standum scias, in quouis homine temerari-
 tis suspitionem & speciem habet) à condi-
 tione annexa arguere potuit Paulus, ab ip-
 sius promissione

missiōne arguere non potuit Paulus. Sed
arditatis Calvinianæ demonstrandæ nul-
lā finis.

Vide tamen, Lector, quā multa, quā
ceter, ex hac vna breui & concisa sententia,
varia absurditate grauida, concludit.

ergo (inquit) *futilis argutia est, promissio-*

ales citare ad statuendam operum iustitiam!

enim manet nos certa maledictio: tantum
ut inde ad nos salus perueniat. Quo putidior

aviditas Papistarum, quibus satis est ad proban-

ueria nudas promissiones arripere. Non frustra

(scilicet) vitam suis cultoribus promisit Deus:

non enim vident, ideo promissam esse, ut omni-

terris terrorem incuteret suarum transgressio-

nis sensus: atque ita defectu suo coacti, ad Chri-

stianam confugere discerent. Fallax, & insidiosa,

etiam imposturā & nequitia hæc tota oratio

vana est. Primum, illatio vana ac nulla est,

quia ex antecedente vanitatis ac dementiæ

illatio concludit. Deinde, ad statuendam

operum iustitiam, quoad eorum executio-

nem possibilē, non citantur legales promit-

missiones, sed legis præcepta. Legales pro-

missiones ad statuendam mercedem bono-

rum operum citantur. Credimus enim pro-

missiōne Christi: *si seruaueritis præcepta mea, ma-*

gnabit in dilectione mea. Credimus promittenti

Paulo, si compatimur, & conglorificabimur; &

Paulo, si spiritu facta carnis mortificaueritis,

uiuatis. Credere debuerūt Iudæi Deo promit-

tenti,

Calvinus
ex vno
absurdo
multa cō-
cludit.

Promissio
nes lega-
les merce-
dē probat
non exe-
cutionem
legis.
Ioan. 15.
Rom. 8.
13. 17.

Esai. 1. 19 tenti, *Si volueritis, & mandata mea seraueritis, bona terra comedetis.* Promissiones legales

Leuit. 18.

mercedem respiciunt ipsis operibus designatam. Illa promissio, *Qui egerit legem, uiuet ea*, nō ipsam operum iustitiam quoad executionem, sed iustitiæ operum mercedem aut certè fructum respicit, vitam uidel. seu temporalem, quia pœnam trāsgressionis euadit, seu potius æternam, quæ bonis operibus in Scripturis promitti solet; seu etiam spiritua-lem, ut sensus sit, *Viuet vita iustitiæ, ut iustus coram Deo habeatur.* In his omnibus aut merces aut fructus iustitiæ operum, non ipsa executio possibilis ex hac promissione lega-

Iustit. ope-
rum possi-
bilis ex
quibus
promissio-
nibus.

Ezech. 36.
26.

li colligitur. Ad statuendam ergo operum iustitiam possibilem, non huiusmodi promissiones legales (quæ nisi præmium proponunt, & forinsecus docent) sed aliæ promissiones Euangelicæ citari solent ac debent. Quales illæ sunt: *Dabo uobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio uestri; & auferam lapideū de carne uestra, & dabo uobis cor carnis, & spiritum meum ponam in medio uestri, & faciam ut in preceptis meis ambuletis, & iudicia mea cogitatis, & operemini.* Ad statuendam operum iustitiam quoad eius executionem possibilem, imò facilem, hæc citatur Dei promissio, non legalis, sed Euangelica. Similem quoque habet Ieremias de propria gratia

Hebr. 8. 8.
Ierem. 31.
33.

filiorum noui Testamenti, ut Paulus ad Hebræos, eandem proferens, disertè docet: *Et*

pactum quod faciã cum domo Israel post dies il-
 lorum, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus
 eorum, & in corde eorum scribam eam; & ero eis in
 patrem, & ipsi erunt mihi in populum. Fallit igitur
 male & impie lectorem Calvinus, qui ad sta-
 tuendam operum iustitiam quoad executionem
 possibilem, legales promissiones citari
 dicit. Dixit aliquis: Citantur ergo saltem
 precepta legis ad statuendam operum iusti-
 tiam possibilem, & concludere solemus non
 esse impossibile quod Deus precepit; ex ijs
 que Calvinus disputat, hanc collectionem
 efficit. Subiungit enim: cum istis manere nos
 debet maledictionem; ideoque putidos esse Papistas,
 quibus satis est ad probanda merita nudas promissio-
 nes arripere: legales videlicet. Sequitur enim:
 Frustra (inquiunt) vitam suis cultoribus
 promittit Deus. Moxque addit: Sed interim non
 tenent ideo promissam esse (legis cultoribus vitam) ut
 metu mortis terrorem incuteret suarum transgres-
 sionum sensus; atque ira defectu suo coacti, ad hunc
 non confugerent. Hæc Calvinus. Cui respon-
 deo: Cum solo precepto legis, vel cum sola
 promissione vitæ ac iustitiæ seu salutis (ut sic
 tam nunc cum Caluino intelligamus) stat
 adhuc certa maledictio, nisi ad Christum con-
 fugiatur; quia quod lex fieri iubet, & factio-
 nis legis promittit, seu mercedem seu fru-
 ctum seruatae legis, hoc totum à gratia Christi
 promanat, quæ suo Spiritu facit impleri
 legem; & sic impleri, ut iustificet, iustum ac
 rectum

Præcepta
 legis non
 faciunt legem
 possibilem.

Præcepta
 legis non
 faciunt legem
 possibilem.

Præcepta
 legis non
 faciunt legem
 possibilem.

Sf rectum

Legalis
promissio
sola non
statuit
meritum.

Mellitum
Caluini
toxicum.

Ezech. 36.
26.

2. Cor. 3.

Gal. 5.

Ephes. 2.
10.

Ad Chri-
stum con-
fugere in
sentia Cal-
uini.

rectum coram Deo illum constituat, qui ex
Christi gratia legem seruat. Ac mentitur qui-
dē aperte Calvinus, qui ait, *Papismus ad proban-*
da merita nudas promissiones legales arripere, quasi
ex illis solis operum iustitiam ac merita sta-
tuerent, nec homines, qui legalia illa audiūt,
ad Christum confugere docerent. In hoc
apertē calumniatur. In eo autem quod ad-
dit, *ideo promissam esse legis cultoribus vitam, ut*
omnes terrore mortis perstricti, & suarum trans-
gressionum conscij, ad Christum confugerēt, lectori
molliter imponit, eūque mellitis verbis
intoxicat. Apud Calvinum quippe, confu-
gere ad Christum, nō est gratiam Christi per
fidem implorare, qua lex impleatur, non est
habere *Spiritum Christi in medio cordis, qui faciat*
credentem in praeceptis Dei ambulare, quem per
Ezech. 36. Ezechielem se daturum Deus promittit, non
est habere *leges Dei scriptas in cordibus*, ut *simus*
2. Cor. 3. *epistola Christi scripta Spiritu Dei vini in tabulis*
cordis carnalibus, id est, mollibus, & ad du-
ctum diuini Spiritus flexilibus; denique non
Gal. 5. est esse *nouam creaturam in Christo, qua creamur*
Ephes. 2. *in illo in operibus bonis, qua Deus preparauit ut*
10. *ambulemus in illis* (quae omnia iustitiam ope-
rum statuunt quoad eius executionem pos-
sibilem, imō facilem ac suauem) sed est, ut
Ad Chri- manente perpetua legis transgressione (quae
stum con- videlicet impleri à nemine potest, quicquid
fugere in de Spiritu Dei & gratia Christi Scriptura di-
sentia Cal- cat) sola Christi iustitia, & quae in illo perso-
nialiter

aliter fuit, per fidem apprehensa, credenti-
 bus imputetur. Hoc sensu iuxta Caluinum
 ad Christum confugere, legis promissiones
 & comminationes docent, non ut lex à quo-
 dam impleatur, sed ut solo Christo conten-
 tus quisque legem impleri à nemine posse
 certissimè credat: quod quum crediderit,
 legem inane terriculamentum post tergum
 iactat. Hæc est hoc loco Caluini pettilens
 & venenata doctrina, fucò & colore confu-
 sionis ad Christum artificiosè incrustata. Tene-
 mus interim cur nec ex solo præcepto nec
 ex promissione legali operum iustitiã quoad
 eius executionem possibilem statuimus, sed
 ex promissionibus gratiæ. Solum quidem
 Dei præceptum legem nõ esse impossibilem
 conuincit, quia cogitari non debet, Deum
 bonum & iustum impossibilem præcipere: sed
 tantum non solum præceptum facit legem
 possibilem, quia cogitari non debet, ea quæ
 Deus fieri præcepit, sic præcepisse, ut ea per
 nos ipsos absque eius adiutorio præstare va-
 leamus: sed ut sapienter Augustinus scripsit,
 quod iubendo admonet & facere quod possumus, &
 petere quod non possumus. Et iterum alibi: Eo ip-
 so quo firmissimè creditur, Deum iustum & bonum
 impossibilem non potuisse præcipere, hinc admonemur,
 & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid
 petamus. Omnia quippe facilia sunt charitati, cum
 Christi sarcina leuis est. Dicit pater filio, Da
 operam literis strenuam, & te præ cæteris libe-
 ris dili-

ris diligam, te heredem meum constituam. Hic filius, qui absque liberalitate paterna literis operam dare non potest, de patris ita iubentis ac promittentis liberalitate ac subsidio perpetuo nihil dubitabit. De eo non dubitans strenuam literis operam nauabit. Idem de iubente ac promittente Deo credere, si non humana ratio, certe Scriptura nos docuit, quae

Ezech. 36.

Ierem. 31.

Rom. 8.

Dei Spiritum, ut ambulemus in praeceptis Dei, tam luculenter, tam frequenter nos docuit. Dei igitur praeceptum solum tamen non facit impleri legem, admonet nos tamen & conuincit, legem Dei non esse impossibilem, quia docet nos, eum, qui praecepit facere, vires & adiutorium gratiae daturum unde fiat. Sic lex est praedagogus ad Christum, eiusque gratiam. Sic ex ipso praecepto & promissione Dei, qua legis sue cultoribus vitam promittit, colligimus, hoc Deum non frustra promississe, sed & quod promissit, indubitanter praestitutum; & quod ad obtinendam promissionem praecepit, ut id de facto exequamur, suae gratiae adiutorium, Spiritum gratiae suae nobis largitum. Haec haecenus contra Caluini corruptelas circa vocem illam legale ab

Lex quomodo per dagogus ad Christum.

Apostolo citatam, *Qui fecerit homo, vivet in ea.* Nunc quid circa alteram *de iustitia ex fide* partem ad veritatem orthodoxam labefactandam adfert, dispiciendum est. Hic (inquit) locus eiusmodi est, qui lectorem non parum torqueri possit, idque duabus de causis. Nam & improprie videtur à Paulo deortus, & verba ipsa in alienum sensum

commutata: sed de verbis postea videbimus; vbi animaduertamus ad applicationem. Diligentem & veri studiosum interpretem agere videtur. Sed quàm egregiè impostorem agat, Deo dante aperiemus. *Locus est* (inquit) *Deuter. 30. 12. vbi, quemadmodum in superiore, legis doctrina loquitur Moyses, Paulus autem ad Evangelicas promissiones trahit.* Adverte Lector. Moyses quidem in illo capite legis doctrina loquitur, quia de præmio & mercede agit obedientiæ mādatorum Dei. Sed in verbis à Paulo citatis legis doctrinam non tradit, nec præceptū dat, nec præmium nec poenam comminatur (quibus omnibus *legale ministerium contineri* definit Calvinus) sed pro: ius gratiam Euāgelicam illis tradit, quia cordis circumcisionem spiritualement, & consequendi diuini mandati facilitatem ac promptitudinem (quæ propriè ad Euāgelicam gratiam pertinet) Iudæis exponit. Quare non ea Paulus ad gratiam Euāgelicam trahit, neque locus hic à Paulo detortus est (ut Calvinus improbè fingit) sed iuxta mentem Moysis literam Molaicam tractat, & verba planè Euāgelica ad gratiæ Euāgelicæ doctrinam accommodat. Nunc tamen, iustitiam hanc Pauli detorsionem excuset Calvinus, videamus. *Hic* (inquit) *nodus sic bene expediatur. Moyses facilitatem illic ostendit persequendi ad vitam, quia iam Dei voluntas Iudæis occulta non est, nec longè disita, sed sub aspectum pa-*

Gratiam
Euāgelicā
Moses
docuit.

St 3 sita

fra. Fallit iterum Calvinus. Non facilitatem perueniendi ad vitam directè & immediatè, sed facilitatè exequèdi mandatum ostendit hîc Moyses. Ait enim: *Mandatum hoc quod ego precipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in celo situm, ut possis dicere, Qui nostrum valet ad calum ascendere? &c.* Rursum hanc facilitatem siue perueniendi ad vitam, ut Calvinus fingit, siue exequèdi mādatum, non in eo ponit Moyses, quòd iam Dei voluntas illis occulta non est, sed quòd, *circumcidente Deus eorum ut diligerent Deum, ita demum beneficio circumcisionis spiritualis & dilectionis Dei (quæ auferit cor lapideum, durû, immorigerum, & facit cor carneum, molle, ad omne opus bonum paratum) mandatum hoc prope esset in ore eorum, & in corde eorum (& in manibus eorum iuxta lectionem 70. Interpretum) ut facerent illud.* De executione mandati loquitur, non de cognitione voluntatis Dei per mādatum: quæ quidem notitia merè legalis est, & legis beneficio comparatur. Hoc posterius Calvinus ipse satis aduertit, ideoque sic prosequitur: *Si de sola lege (scil. strictè accepta, ut antea distinxit) sermo esset, frivolum fuisset argumentum; quum nihilo facilior sit facta lex Dei ante oculos posita, quàm si procul abesset: (saltem sola legis notitia sine Dei gratia non facit legem facilem) Ergo non solam legem designat, sed totam in genere Dei doctrinam, quæ Evangelium sub se comprehendit. Vide ut iterum fallit Calvinus.* Ne

Deuter.
30. 11.

Calvini
impostura
egregia.
Deuter.
30. 6.

2. Tim. 2.
21.

Deuter.
30. 14.

lateri cogatur de ipsa lege & mandato le-
 loqui hinc Moysen, distinctione sua præ-
 illa usus, ait eum de tota in genere doctri-
 loqui, quæ Euāgelium sub se comprehen-
 Sed aduerte lector. Hæc verba, *Neque* Mandati
procul positum, nec in celo situm, ut possis dicere, Quis executio-
ipsum valet ad calum ascendere (quæ nunc Cal- nem faci-
leus tractat) de ipso mandato quod præce- lem Moy-
præcipit illis Moyses, de ipsa lege iubente, pro- ses docuit
mittente, comminante, Mosen locutum fuis-
se, ipsa verborum aperta positio & constru-
ctio inuictè demonstrat. Mandatum hoc (in-
quit) quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est,
neque procul positum, &c. Falsum est igitur, in
his verbis loqui Moysen de tota in genere
Dei doctrina, cuius pars Euangelium seu
gratia Euāgelica est. Sed verò in sequentibus
verbis, quibus hanc Iudæorum veluti obie-
ctionem circa mandati difficultatè remouet,
in illis (inquam) verbis, Prope est verbum in ore
&c. doctrina Euangelica, gratia noui Te-
stamenti docetur, non legale aliquid. Ita fal-
lit egregie lectorem Calvinus. Sed ideo fal-
lit, ne, si hæc priora verba de ipsa lege, de ip-
so mandato, de obseruandi & faciendi man-
dati difficultate intelligatur, necessariò con-
sequatur id quod Moyses subiecit, Prope est
verbum in ore tuo, &c. ad hanc difficultatem
tollendam, & ad exequendi mandati facilita-
tem probandam, à Mose subiunctam fuisse.
Ideo non vult hæc verba de ipso mandato

¶ 4 dicit

impositu-
re Calu-
nianæ cau-
sa.

dici (apertè contra textum) sed de vniuersa Dei doctrina, cuius Euangelium pars est. Aduerte nunc quomodo hanc tam apertam rextus Moysaici inuersionem probare contendat. Verbum enim (inquit) legis per se nunquam in corde nostro est, ac ne minima quidè eius syllaba, donec per fidem Euangelij inseritur. Verissimum hoc est, ideoquè Moyses tum præmiserat de circumcissione cordis, & dono dilectionis; tum subiunxit, hoc verbum legis propè esse in ore & in corde, vt faciant illud: beneficio videl. gratiæ, quam fidem Euangelij Calvinus vocat. Hoc si ita est, cur relictatur Calvinus? Cur non agnoscit iustitiam ex fide (vt sine vlla deflexione optimè collegit Apostolus) & gratiam Euangelicam hinc à Mose prædicari, qua fit mandatum, vt facias illud. Aduerte Lector (vt Lutherani cuiusdam contra Calvinum verbis vtar) quam tortuoso reflexu & serpentinis gressibus hic spiritus tenebrarum sese torquet, ne plenam hanc laudem Christi gratiæ concedere cogatur, inseri cordibus fidelium, eius beneficio, omnem Dei legem, vt opere compleatur. Sic sese nunc in alterâ partem reflectit: Deinde etiam post regenerationem verbum legis propriè in corde nostro non esse dicitur. Mètitur ergo Moyses, mentitur Paulus, qui de ipso mandato & verbo legis dixerunt, Propè est verbum in ore tuo, & corde tuo, vt facias illud. Mètitus & tu quoque, Caluine, es, qui verbum legis per fidem Euangelij in corde nostro inseri iam iam fatebaris. Sed

Deuter.
30. 14.

Aegidius
Hannius
V Vittem-
berg. in
libello,
Caluinus
Iudæus.
Caluinus
serpens
tortuosus

hic est reflexus eius serpentinus, & contra
 manifestæ veritatis lucem hæretica lucta.
 loquere tandem, post ipsam etiam regene-
 rationem nostram spiritualement, verbum le-
 gis in corde fidelium propriè non erit, vt fa-
 ciat illud. *Quia* (inquit Calvinus) *perfectio-*
nis requiritur lex, à qua longè fideles quoque ipsi di-
stent. At hoc tuum, Calvine, mendacium
 est; diuinæ scripturæ hoc verbum non est.
 Vide, Lector, hæreticorum hodie summam
 impietatem. Quod apertè Scriptura dicit,
 scripturam dicere nolunt; quia aliter se ha-
 bent illorum placita, quàm Scriptura lo-
 quitur. Scriptura hîc apertè dicit, *Prope est*
verbum (id est, mandatum legis, nam de eo
 Moyses loquebatur) *in corde tuo, vt facias illud.*
 Non est hoc verum, dicit hæreticus; & ver-
 bum legis sine mandatum legis non est pro-
 prie in corde nostro, quia (iuxta nostra pla-
 cita) nec ipsi fideles seruant legem. Isti sci-
 licet homines Euangelici sunt, isti Scriptu-
 ram vt vnicam & perfectissimam omnis ve-
 ritatis normam reuerentur, qui ad quodlibet
 populi placitum firmandum audacter se
 scripturæ opponunt. Non est verum (in-
 quunt) quod Scriptura dicit, quia nos aliter
 sentimus. *Verbum legis esse in corde regenerari &*
circuncisi spiritu fidelis, vt faciat illud, non
est verum; quia nostra sententia est, legem à
nostris posse impleri. Agitur de dogmate gra-
 uissimo. Ideo paulò pluribus hunc locum
 S I J premo.

Hæretico-
 rum sum-
 ma impiet-
 as circa
 S. Scriptu-
 ras.

premo. Pergamus adhuc cum astuto isto serpente, & vt torquat sese atque in gyros conuoluat hic coluber (Lutherani aduersus Calvinum verbis iterum vtor) videamus. At verbum Euangelij in corde sedem habet, etiamsi cor non impleat. An non vides, lector, alium tortuosum reflexum? Si enim verbum legis per fidem Euangelij in corde nostro inseritur, & tamen in corde nostro verbum legis propriè non est; quomodo iam verbum Euangelij, seu fides Euangelij, in corde sedem habet, vbi verbum legis sedem non habet? Habet (inquit) verbum Euangelij sedem in corde, sed non plenam, quia cor non implet. Primum, satis est quòd verbum Euangelij, seu fides Euangelij, seu gratia Euagelica, seu Christi gratia, seu Spiritus regenerationis (hæc enim omnia idem valent) sedem in corde fidelis habeat, vt legem opere compleat. Verbum legis propè est in corde tuo (ait Moyses) vt facias illud. Et, Qui fecerit legem, viuet in ea. Sufficit ergo ad causam præsentem quòd verbum Euangelij (cuius beneficio verbum legis cordi inseritur) in ipso corde fidelium sedem habeat, tamen non implet illud. Nunc autem cor fidelis etià implet verbum Euangelij, seu Christi gratia, quod hæc in Scriptura voces docent: Dilata os tuum, & ego implebo illud. Damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleteretur in nobis. Qui diligit proximum, legem impleuit. Omnis lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum

Gratia
Euangeli-
ca implet
cor.
Psal. 20.
11.

Rom 8. 4.

Rom 13.

2.

Gal. 3. 14.

te ipsum. Christum habitare per fidem in cor-
 dibus vestris. In charitate radicati & fundati, ut
 implemini in omnem plenitudinem Dei. Implemini
 S. loquētes vobismetipsis in psalmis, & hym-
 nis, & canticis spiritualibus. Denique hæc est
 abundantia iustitiæ & donationis per Christum,
 quam nuper contra Bezam ex Scripturis sta-
 blimus. Sic verbum Euangelij non solum in
 corde sedē habet, sed & cor implet, ut lex implea-
 tur. Sed utraque plenitudo talis est, quæ
 huic vitæ conueniat, quæ viatorum sit ad-
 huc peregrinantium, non quæ beatorum
 sit, plenam illam puritatem, cui nihil adijci
 queat, comprehendentium.

Atqui verbo Euangelij cor impleri cur ne-
 git Calvinus? Nam (inquit) imperfectionis ac-
 cessus veniam offert. Verissimū hoc est, quia
 perfectio aut legis impletio talis in hac vita
 non est, ut ei nihil adijci queat, ut nulla im-
 perfectione, nullo defectu laboret, ut nihil
 sit quod venia indigeat. Omnis tamen ista
 imperfectio, omnis hic defectus, omnis hæc
 vitæ necessitas nihil impedit quod minus &
 cordi fidelium gratia impleatur, & lex à fide-
 libus per adiutorium gratiæ impleatur, qua-
 re in hac vita cor impleri expedit, & le-
 gem impleri conueniat. Qua de re super
 dicta latius contra Calvinum egimus. Per-
 gamus nunc cum Caluino suos iam gyros
 non nihil explicare, & paulò explicatius agē-
 te tamen, ut ad reflexus suos tortuosos

mox

Ephes. 3.
 10.
 Ephes. 5.
 18.

Suprà ad
 Rom. 5.
 18.

Imperfe-
 ctione sicut
 te lex im-
 pletur.

mox rediturus sit. *Ac omnino* (inquit) *Moyse*
illo capite (quemadmodum & quarto) insignem Dei
 benevolentiam populo commendare studet, ex eo quod
 eum in suam disciplinā & magisterium susceperat;
 qua commendatio à nuda lege sumi non poterat. Ver-
 rum hoc totum est, quia non solum nudum
 legis mandatū in hoc capite. *Moyse* propo-
 nit, sed præterea *cordis circuncisionem*, & *Dei*
dilectionem; mediante quibus verbum le-
 gis non solum foris sonabat quasi longè posi-
 tum, resque supra eorum vires constituta,
 sed prope eos valde erat, in ore & corde ipsorum, ut
 faciant illud. An hoc nobiscum, imò cum ipsa
 Scriptura agnoscat *Calvinus*? Vide, lector,
 ut veritate cogente modò agnoscat, pro-
 pria hæresi impellente; modò refugiat, at-
 que in novos rursus gyros sese conuoluet.
Nec obstat (inquit) quòd illic *Moyse* de vita adle-
 gis regulam formanda concionatur. Videt ergo
Calvinus hoc à *Moyse* in hoc capite agi, ut
 lex de facto seruetur, & opere compleatur.
 Sic enim & cap. 4. dixerat *Moyse*: *scitis*
 quòd docuerim vos præcepta atque iustitias, sicut
 mandauit mihi Dominus Deus. Sic facietis ea, &
 obseruabitis, & opere complebitis. In viroque
 capite de seruanda lege de facto, de vita ad
 legis regulam formanda, mediante gratia
 Dei & cordis circuncisione, concionatur.
 Hoc totum videt & agnoscit *Calvinus*. Sed
 ait, hoc totum non obstat, id est, non impedi-
 re quòd minus verum sit quòd ille vult, legem
 à ut.

Caluini
 gyri ser-
 pentini.

Deuter. 4.
 3.

nemine impleri, ideoque ex legis aut ope-
 rum iustitia neminem vita viuere, neminem
 iustificari. Attende nunc quomodo, quod
 tam audacter affirmat, probet. Nam (inquit)
 iustitia fidei iustitia coniunctus est regeneratio-
 nis Spiritus. Itaque alterum ex altero colligit, quia
 observatio ex Christi fide est. Hæc si vera sunt,
 sunt verissima, profecto Calvinianæ do-
 ctinæ (quod nemo legem obseruat, & ex ob-
 seruatione legis nemo viuit, nemo iustifica-
 tur) maximum hinc obstaculum iniectum est,
 maxima vis, imò certa perniciēs illata est.
 Spiritus quippe regenerationis cum fidei ius-
 titia coniunctus adeò facit legem, vt alte-
 rum ex altero necessariò consequatur, quia
 (vt ipse iam Calvinus fatetur) observatio legis
 ex Christi fide est, cui iste Spiritus regenerationis
 coniunctus est. Qui enim in Christum
 credunt, per Christi Spiritum regenerantur,
 renouantur, noua creatura fiunt, creati in Christo
 operibus bonis (vel, vt Calvinus vertit, ad ope-
 ra bona) quæ Deus preparauit, vt ambulemus in il-
 lis. Ita iam non solum Scriptura attestante,
 sed & Caluino suffragante, iustitia quæ ex fide
 est, legis obseruationem coniunctam habet:
 quod adhuc magis prosequitur. Nec dubium,
 inquit, est quin hæc sententia ex illo principio pen-
 det, Circumcidet Dominus cor tuum: quod paulò an-
 te profuerat eodem capite. Pulchre admodum &
 egregie confirmat, obseruationem legis ex fide
 Christi fieri, cui Spiritus regenerationis coniunctus
 est,

Legis ob-
 seruatio à
 Caluino
 agnita.

Gal. 5.
 Ephes. 2.
 10.

est, quia (eriã ex Moysis sententia) circumcidit Dominus cor fidelium suorum, & Spiritu regenerationis purgat. Quid ad hanc nunc veram & liquidam confessionem tortuosus iste serpens? In quos nunc se gyros reflectet? Attende hominis audaciam. *Quare* (inquit) *nullo negotio refelluntur, qui Moſen illic de bonis operibus agere dicunt. Fateor id quidem eſſe verum; ſed abſurdũ eſſe nego, legis obſervationem ex ſuo fonte, hoc eſt, ex fidei iuſtitia deduci.* Hæc eſt tota hoc loco Caluini reſolutio, in hunc tandẽ circulũ reuolutus his ſerpẽs cõquieſcit. Cõcludit, illos refelli, qui Moſen hoc capite de bonis operibus agere dicunt. Moxquẽ pedem referens, & in aliud ſe reflectẽs latus, *fateor hoc verũ eſſe, quod Moſes de bonis operibus hĩc agit.* Si verũ eſt, Moſen in hoc capite de bonis operibus agere, quomodo refelluntur qui hoc dicunt? Vel ſi refelluntur qui hoc dicunt, quomodo verum eſſe fateris quod dicunt? *Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?* Cæterum Moſen de bonis operibus hoc capite agere, vbi de vita ad legis regulam formanda (ipſo atteſtante Caluino) agit; vbi de cordis circuncione, vt Deus toto corde diligatur, agit; vbi verbum legis non procul poſitum, ſed propẽ valde in ore & corde eorum eſſe affirmat, vt faciant illud; adeo verum, clarum, & liquidum eſt, vt ipſe Caluinus ſemel negans, eodem ſtatim halitu pronunciarẽ coactus fuerit, *Fateor id quidem eſſe verum.* Verum ergo & veriſimũ hoc quum fit, quod elaberis,

Caluinus
vno ha-
bitu pu-
gnantia
dicit.

liberis, Caluine, ne bonorum iustitia hoc
 constitatur? *Absurdum* (inquit) esse nego,
 sed obseruationem ex suo fonte, hoc est, ex fidei
 iustitia deduci. Rectè fanè istud absurdum esse
 negamus, negamus & nos, adeoque absurdum esse
 negamus, vt conuenientissimum planeque
 necessarium esse credamus & affirmemus,
 vt *legis obseruatio ex suo fonte, hoc est, ex fidei iusti-*
ta deducatur: vt (inquam) sine fidei iustitia,
 sine Spiritu regenerante, sine cordis circun-
 cisionè, qua Deus toto corde diligatur, nulla
 hæc obseruatio legis fiat quæ ad iustitiam
 coram Deo faciat, & qualem facere oportet,
 vt *scilicet legem viuat in ea*. Sed sicut fontem
 Caluinus agnoscit, ita riuulos ex fonte ma-
 nantes cur non agnoscit? Sicut fidei iustitiã
 predicat, cur non & legis obseruationem ex
 ea manantem profitetur? Bona opera, legis
 iustitiam, obseruationem, adimplerionem,
 non nisi ex hoc fonte agnoscimus. Hunc
 fontem tam Paulus quàm Moyses hoc loco
 designarunt. Huc ergo tota Caluini lucta,
 tota concertatio, totus & tam varius eius
 sermo ac reflexus recidit, vt bonorum ope-
 rum iustitiam legisque obseruationem pro-
 ferri cogatur, sed ex fonte iustitiæ fidei,
 quod nemo illi Catholicus negat, quod om-
 nes illi Catholici vltro dabunt.

Pergit iam ad verborum Pauli ex Mose
 explicationem, quæ, nisi cum Apostoli in-
 iuria, & varijs adhuc sanæ doctrinæ corrup-
 telis

Legis ob-
 seruatio
 ex fidei
 iustitia
 deducitur

Caluini
 resolutio
 contra
 Cal. con-
 cludit.

telis coniuncta foret, omitti hoc loco potuisset: nunc prætermitti non debet. Nunc (inquit) querenda est verborum explicatio. Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in calum? Hoc est Christum deducere. Aut quis descendet in abyssum? Hoc est Christum ex mortuis reducere. Moses calum & mare nominat, tanquam loca remota & aditu difficilia. Verum hoc est, quia difficultatis opinionem circa mandati executionem Iudeorum animis eximere voluit. Paulus autem (ait Calvinus) perinde ac si aliquid spiritualis mysterii lateret sub his vocibus, ad mortem & resurrectionem Christi trahit. Si quis istam interpretationem nimis coactam & argutam esse causet, intelligat non fuisse Apostolo propositum, Moysis locum anxie tractare, sed ad presentis cause tractationem duntaxat applicare. Non ergo syllabam recenset quid sit apud Moysen, sed expolitione vitæ qua instituto suo testimonium Moysis propius accommodat. Ille de locis inaccessis locutus erat: Paulus ea loca expressit, quæ & ab aspectu nostro maxime omnium sunt abscondita, & fidei tamen nostre respicienda sunt. Quare si per amplificationem vel per expolitionem, hæc dicta accipias, non poteris dicere quod Paulus violenter aut importune detorsit verba Moysis: sed potius fateberis, citra ullam sensus iacturam eleganter ad vocabula cæli & maris allussisse. Tota hæc veluti apologia minime necessaria erat, nisi quod insidias struit Calvinus ad futuram textus Apostolici depravationem. Paulus quidem Moysis verba syllabam non recen-

nonset: neque id Apostolo necesse fuit:
 nec ad vocabula cæli ac maris allusit, aut
 inde ac si aliquid mysterij sub his vocibus
 eret, ad mortem & resurrectionem Christi
 verba Mosis trahit. Sed Paulus vocabula *cæli* Paulus A
maris, quæ Mosis verba erant, simpliciter ^{sensu}
 legat, tamen breuius ac succinctius: pla- ^{Moyfis}
 que in eodem sensu quo Moyses, videlicet ^{nō dicitur.}
 doceat per iustitiam ex fide tolli difficul-
 tatem seruandi mandatum, vt non sit opus
 ea difficultate conqueri, quasi aut cælum
 conscendere aut mare transmeare debeant
 illud mandatum opere complendum.
 Quod autem Paulus verbis Mosaicis inter-
 pretatur, *Hoc est Christum deducere*, non sic ea inter-
 ponit, veluti aliquid mysticū in verbis Mo-
 saicis latens aperiret; sed ideo ea interpo-
 nit, vt illius querimonie Iudaicæ, quam ibi
 per hypotyposin commemorat Moyses, absur-
 ditatem & indignitatem (maximè iam post
 aduentum Christi, in quem credere Iudæos
 oportebat) clariùs demonstraret. Sic quip-
 pe nunc de mandati difficultate conqueri,
 nunc (inquam) accepta ex fide iustitia, nihil
 aliud esset, quàm Christum incarnatum,
 Christi; à mortuis resurrectionem negare.
 Paulus igitur Mosis verba in priori membro
 nullo modo immutauit, in posteriori mem-
 bro descensum in maris profundum ponit
 pro transfretatione maris (*abyssus* quippe
 mare, seu maris profunditatem, in Scriptu-

T c ris pas-

ris passim significat) nec pro alijs inaccessis locis accipit quàm accepit Moyses, nec denique vllum in illis mysticum latentem sensum reuoluit. Pergamus nunc cū Caluino.

Caluina.
in figura
Paulo at-
tributa.

Quia duobus fundamentis salutis nostra securitas incumbit, dum & acquisitam vitam intelligimus, & mortem deuictam, vtra ne per verbum Euangelij fidem suffultā esse doceat. Christus enim moriendo mortē absorbit, resurgendo vitam in potestatem suam accepit. Iam Euangelio mortis ac resurrectionis Christi beneficium nobis communicatur: ergo non est quod vltra quippiam appetamus. Itaque vt constat fiduciam abunde ad salutem sufficere, duo illa membra conineri sub ea docet, qua sola ad salutem desideratur. Hæc ille. Atqui non est hoc Pauli verba simpliciter enarrare, sed est sua somnia fraudulenter narrare. Nihil horum omnium in Pauli verbis apparet. De salutis nostre securitate nec vnum hîc verbum, atque ad eò nec tota hæc epistola Paulus facit. Eius securitatis fundamenta multò minùs exponit. Salutis quidem nostre fundamenta hæc duo sunt, mors peccati, & vita iustitiæ, vt in sexto huius epistolæ capite latius ex Apostolo disputatum est. Quod de salute dicitur, ad salutis securitatē detorquet. Securitas salutis, qualem Caluinus somniat, in hac vita nulla est, tamen spes gloriæ non desit. Nec Euangelij fide hæc spes, quam securitatem esse vult, Caluinus nititur: sed vt spes ista non confundat, patientia in tribulatione

Salutis
fundamē-
ta in secu-
ritatis fun-
damentū
vertit Cal-
uinus.
Rom. 5. 2.
Col. 1. 27.
Rom. 5. 7.

hanc probationem facit, vt Apostolus docet, iterum
 dicens; Si compatimur, conglorificabimur. Et quia Rō. 8. 17.
 non est, nisi qui in finem perseverauerit; secu- Mat. 10. 22
 in hac vita nemo, quantumlibet pius, esse
 potest. Deinde, de Christi morte Paulus in
 his verbis (quæ se simpliciter enarrare impostor
 Caluinus affirmat) nihil loquitur. Christum è
 illis deducere, non est Christi mortem quòquo
 modo turbare, sed aduentum & incarnatio-
 nem eius attingere. Iam verò mortis ac resur-
 rectionis Christi beneficium non Euangelio
 in sensu Caluini, id est, solis promissionibus
 Euangelicis, sed pœnitentia, fide, chari-
 tate, baptismo, alijsque virtutibus ac Sacra-
 menti nobis communicatur, vt ter impium
 hoc quod addit, non esse quòd ultra Euangelicas
 promissiones aliquid appetamus. Tandem duo
 hæc membra, Christi incarnationem & re-
 surrectionem, Paulus hoc loco posuit, vt
 doceat quidem sub fidei iustitia illa contineri, at-
 que adeò ita contineri, vt constet nobis, fidei
 iustitiam abunde ad salutem sufficere, sed non vt
 doceat hæc duo sola membra aut sola fidei
 capita ad salutem desiderari: quando & mul-
 ta alia necessariò credi debeant præter hæc
 duo capita, & fidei iustitia, quæ ad salutem abunde
 sufficit, omnia in vniuersum complectatur,
 quæ, vt in Christo iustificemur, fides aut do-
 cet, aut impetrat, aut promittit. Tam mul-
 ta in his verbis falsa & inania effutiuit Calui-
 nus, non Pauli verba simpliciter enarrans,
 T t 2 sed

Mortis
 Christi be-
 neficium
 quomo-
 do com-
 munica-
 tur.

Fidei iu-
 stitia quo-
 modo ab-
 undè ius-
 tificat.

Calvini
figmenta
textui
Apostoli-
co affata.

sed sua venena pestilenter instillans, quibus
Pauli verba fraudulenter inuertat. Quod
nunc vide quàm dextere faciat, suis veluti
prolegomenis consequentem epitafrin subij-
ciens: *Quis ergo ascendet in calum? tantundem
valet, ac si dicas, Quis scit an nos hereditas illa aeter-
na & caelestis vita maneat? Quis descendet in aby-
sum? ac si dicas, Quis scit an mortem corporalem
sequatur etiã sempiternus animae interitus? Vtram-
que dubitatione docet esse fidei iustitia sublatã. Nam
altera Christum è celo deduceret, altera è morte redu-
ceret. Christi enim in calum ascensio fidem nostram
de aeterna vita sic firmare debet, vt Christum pend
ipsum è calorum possessione detrahat, qui dubitat an
cali hereditas parata sit fidelibus, quorum nomine &
causa illic ingressus est. Similiter quum inferorum
horrores subierit, vt nos inde liberaret; reuocare
in dubium an adhuc huic miseria obnoxij sint fideles,
est irritam facere eius mortem & veluti abnegare.
Habes nunc, lector, totam huius loci tam
prolixam tam accuratam Calvinianam de-
prouationem. Vides quã demum ob causam
tam multa præfatus, tam diu parturiens, tam
varium & versipellem impostorem egerit.
Sanè vt hanc tandem absurdissimam & im-
pium textus Apostolici deprouationem, fœ-
tum monstrosum, pareret. Totam Apostoli
literam ad caelestis vitæ securitatem persua-
dendam, ad mortis sempiternæ periculum
remouendum contorquet. Verum quidem
est, qui negat reponi fidelibus vitã æternam,
aut*

et mortis æternæ periculum illis imminere
 Christi resurrectionem & ascensionem
 in vanam & inanem facere. Sed hac de re nec
 Moyses in Deuteronomio nec Apostolus hîc
 disputat. *De fidei iustitia disputat Apostolus,*
 iustitiæ, quæ est ex lege, imperfectionem
 debilitatē corrigit. Vult ex Mose docere,
 quæ legis ad iustitiam esse Christum omni credenti.
 Vult ex Mose docere, Iudæos Dei iustitia sub-
 iectis non fuisse, quia suam ex sola lege iusti-
 tiam volebant constituere. Denique vult ex
 Mose docere, Israel, sectando iustitiã, in legem
 iustitiæ non peruenisse, quia non ex fide, sed quasi ex
 operibus sine fide, eò peruenire volebat. To-
 tum hoc ex Mose docet, quia iustitia ex lege
 iubet & promittit tantum, iustitia ex fide
 propinquitatem & facilitatem exequendi
 mandati beneficio circumcisionis spiritualis
 in corde (quæ est iustitia ex fide) ipse Moses
 hoc loco docuerat, sicuti vbertim iam con-
 tra Calvinum ostēdimus. Ita & tota Aposto-
 li præfens disputatio, & ipse contextus Mo-
 sæ ab Apostolo citatus, luculenter de-
 monstrant, sensum à Calvino excogitatum
 profus commentitium & inanem esse, à
 mente Mosis atque Apostoli remotissimum.
 Quod adhuc sequentium verborum fœdissi-
 ma deprauatio luculentius docebit.
 Verba Mosis ac Pauli, *Propè est verbum in*
ore tuo, & in corde tuo, hunc in modum tractat:
Primo (inquit) hoc notandum est, ne ambagibus ab-
ducta

Apostoli-
 ca dispu-
 tatio ex-
 planatur.

T 13 ducta



Caluini
alia fig-
menta
Paulo me-
diciter
assuta.

ducta hominum mentes à salute aberrent, verbi me-
tas illis præscribi, intra quas se contineant. Per-
de enim est ac si iuberet vno verbo contentas esse,
& moneret in hoc speculo contemplanda esse calo-
rum arcana, quæ & aciem oculorum perstringerent
suo fulgore, & aures obstupescerent, & mentem ip-
sam redderent attonitam. Itaque insignem ex hoc lo-
co consolationem percipiunt fideles anima de verbi
certitudine, quod scilicet in eo non minus tutò acquies-
cant, quàm in præsentissimo rerum aspectu. Deinde
notandum est, proponi verbum à Mose, in quo stabili-
tis & tranquilla salutis fiducia nobis constet. Hæc
impostor iste audax, & mendax magister.

Caluini
mendacia
duo.

Quid enim audacius fingi, quid mendacius
proferri potuit, quàm hæc à Caluino cõtex-
ta fabella? Garrit de verbi metis intra quas
se homines contineant, & vt vno verbo con-
tenti esse debeant, hoc loco iuberi affirmat.
Addit proponi verbum à Mose, in quo salu-
tis fiducia constet. Mentitur ac fallit. Nec
de verbo scripto, intra cuius metas homines
contineri, & quo vno contentos esse fideles
Caluinus vult, nec de verbo Euangelij in
sensu Caluini (quod certam salutem fidei
promittat) sed de verbo mandati, de verbo
& sermone mandatorum Dei, ac de facilita-
te seruandi hoc mandatum, apertissimè lo-
quitur Moses: *Propè est verbum in ore & corde
tuo, vt facias illud. Mandatum quod ego præcep-
tibi hodie, non est ultra te, aut procul à te positum,
non excedit vires. Propè valde est verbum, &
manda-*

Verbum
mandati
in verbū
scriptū &
verbū fi-
duciale
transfor-
mat Cal.

mandatum istud, in ore tuo, & corde tuo, & in la-
 psum os, & in manibus tuis, vt est apud 70.
 iustitias illud. De faciendo & exequendo Dei
 verbo, Dei mādato, loquitur Moses, loqui-
 tur Paulus, non de aliquo verbo Scripturæ,
 aut verbo fiduciali, quale fingit Calvinus.
 Ita Græci Patres annotarunt in illa senten-
 tia Mosaica, legis facilem sensum, facilem, ue obe-
 dientiam demonstrari.

In catena
 veter. Græ-
 corum.

Neque verò, quod apud Paulum sequi-
 tur, audax Caluini figmentum quicquam
 inuat: Hoc est verbum fidei quod predicamus. Pro-
 pinquitas nempe & facilitas exequēdi man-
 dati, quam Moses illis verbis docuit, idque
 propter circumcisionem cordis, de qua prius
 locutus Moses fuerat (Nec enim dubium est, ait
 ipse Calvinus, quin hac sententia ex illo principio
 pendat, Circumcides Dominus cor tuum) est ver-
 bum fidei quod Paulus prædicauit; est iusti-
 tia ex fide, nō ex lege tātum; est gratia Chri-
 sti, credentibus in eum concessa; est dilectio
 Dei ex toto corde, quam Deum, circunci-
 dendo corda suorū, dare Moses dixerat, quā
 per Spiritum S. in cordibus nostris diffusam Pau-
 lus apertius scripserat. Hoc est verbum fidei, ait
 Paulus: id est, hæc doctrina Mosaica de pro-
 pinquitate mandati in corde, vt fiat illud,
 est doctrina fidei, seu gratiæ ex fide, quam nos
 predicamus. Vnde subiungit: Quia si confitearis
 in ore tuo Dominum Iesum, id est, Iesum esse Do-
 minum ac Deum tuum, & in corde tuo crede-
 ris quod

Verbum
 fidei quid
 & quale.

Rom. 8

T 1 4

nis quod Deus illum suscitavit à mortuis, saluus eris : id est, ad veram salutem, ad veram vitam ex iustitia fidei consequendam, hæc tua in Christum, eiusque resurrectionem, fides perducet.

A&. 15. Hæc enim fides & cor tuum purificabit, ut depulsis tenebris, omnia quæ de Deo credenda sunt, credas, & gratiam seu Spiritum regenerantem (qui non nisi credentibus datur)

Rom. 8. tibi impetrabit: quo Spiritu vitæ accepto, liberaberis à lege peccati, facta carnis mortificabis, solutus eris à lege mortis in qua deinebaris, ut servias in novitate spiritus, & non in vetustate literæ. Hic est clausulæ Apostolicæ de verbo fidei, quod prædicabat, sensus apertus, fluens, germanus; reliquæque Apostoli disputationi in hac ipsa epistola conformis.

Nunc, ut illam depravet Calvinus, videamus. Merito (inquit) id assumit Paulus: nam legis doctrina pacatam ac tranquillam conscientiam minimè reddit, nec ei suppeditat quibus contentam esse oporteat. Rursum de pacanda sua inquietâ conscientia garrit homo inquietæ (ut apparet) & sordidæ semper conscientiæ. Ac Paulus de ea ne gry quidem hoc loco. Sic

Calvinus extra chorum saltat, ut ludat ac ludificet. Audiamus tamen reliqua: Interim tamen non excludit reliquas verbi partes, ac ne præcepta quidem ipsa legis: sed vult statuere peccatorum remissionem pro iustitia, etiam circa exactam obedientiam, quam lex requirit. Sufficit ergo ad pacandas mentes, & stabilendam salutem, Evangelij verbum: quo non iubeatur

*operibus iustitiam promereri, sed gratuito
 illam fidem amplectari. Eundem semper vol-
 uit lapidem, quem ipse sibi voluendum &
 agendum delegit, cuius in textu Apосто-
 lico nulla apparet particula; quum non de
 verbo Euangelij in sensu Caluini, sed de ver-
 bo fidei, de verbo gratiæ ad sensum Moysis,
 locutus hinc Paulus fuerit, vt supra explica-
 tum dedimus. De verbo quoque Euangelij
 suo more mentitur, quæ olim satis refutata
 reliquimus. Videamus quæ sequuntur, vbi
 ipsa Apostoli verba explicare velle videtur.
 Nam haftenus ab eis longissimè diuagatus
 est. *Verbum* (inquit) *fidei pro verbo promissionis,*
hoc est, pro ipso Euangelio per metonymiam dictum est,
quoniam relationem habet cum fide. Subaudienda
enim est antithesis qua discernitur lex ab Euangelio:
neque ex hac distinctionis nota colligimus, sicuti lex
quæ exegit, ita Euangelium nihil aliud postulare,
nisi vt fidem afferant homines ad recipiendam Dei
gratiam. Prodit hinc Caluinus artes & rethoras
quas in promptu habet ad deprauandas, quo-
rum volens, diuinas Scripturas. Metonymias
fingit, antitheses subornat, distinctionis no-
tas fabricat, vbi harum omnium nullus
proflus locus, nullum vestigium apparet.
Hic vt lectorem à vero, germano, perspi-
cuo verborum Pauli sensu longissimè abdu-
cat, primùm in verbo fidei metonymiam fin-
*git. *Verbum* (inquit) *fidei pro verbo promissionis,**
*hoc est, pro ipso Euangelio per metonymiam accipi-**

Caluini
 artes ad
 deprauan-
 das Scri-
 pturas.

Fides &
promissio
non sunt
synonyma

Promissio
res variaz.

Tit. 3.
Rom. 5.
Ierem. 31.
Rom. 8.

Tit. 3.
Gal. 3.

zur. Et vnde hoc commentum ab huius loci sensu alienissimum? Quomodo probat per verbum fidei hoc loco verbum promissionis significari? An fides & promissio synonyma sunt, aut apud Paulum æquivalent? An nihil creditur nisi promissio? Aut quæ tandem ista est promissio? An vnica in Scripturis legitur promissio? An non promissiones variaz leguntur, non solum remissionis peccatorum gratuita, quam solam intelligit Calvinus, vt antithesis eius subiuncta manifestat, sed etiam *renouationis interne charitatis in cordibus diffusa, legis in cordibus scribenda, Spiritus Dei regenerantis, inhabitantis, à lege peccati liberantis, gratiæ Dei effusa abunde, noua creatura in Christo, mercedis vitæ æternæ?* Si tot & aliæ adhuc multæ in Scripturis promissiones leguntur, non secus ad salutem firmiter credendæ quàm illa vna promissio gratuita remissionis peccatorum, cur vnã solam promissionem nominat? Deinde, cur illam vnã promissionem per epexegesin Euangelium vocat? *Hoc est* (inquit) *pro ipso Euangelio.* Euangelium quoque nihil quam vnã hanc promissionem docet? At (inquit) *μετ' οὐρανῶν* ita dicitur, quia videl. in Euangelio hæc vna promissio continetur. Sit ita. Nunquid tamen in Euangelio, eiusque prædicatione, illa sola continetur? Nunquid prædicatio Evangelica aliud nihil adfert præter vnã promissionem, seu anteceditam,

dictam, seu aliam quamlibet? Quid portē-
 notius contra vniuersam Scripturam cogi-
 tari potuit? Deinde hūc esse metonymiæ lo-
 cum quis Caluino concedet? Aut si meto-
 nymicæ locus hūc sit, vt in verbo fidei vnum
 aliquod fidei aut Euangelij obiectum intel-
 ligatur, cur verbum promissionis antedictæ
 hoc erit, de qua promissione totus hic tex-
 tus nihil loquitur, nihil insinuat, & non po-
 tuit verbum gratiæ Christi regenerantis, ac
 vitæ renouantis; verbum (inquam) circū-
 cisionis spiritualis, quam facit gratia Chri-
 sti, hoc verbum fidei erit propter quam &
 ex qua mandati verbum, *Propè est in ore &
 corde nostro, vt faciamus illud?* Sanè illud ver-
 bum fidei ab Apostolo hūc intelligi, ex Au-
 gustini verbis nuper prolatis, nostraq; ante-
 gressa explicatione, liquidò cōstat. Sed Cal-
 uinianæ imposturę technas magis aperia-
 mus. Cur in verbo fidei promissio, hoc est,
 Euangeliū metonymicè intelligitur? Quo-
 niam (inquit) *relationem habent cum fide*, id est,
 quia hanc promissionem fides respicit, Euā-
 gelium prædicat. Atqui multas alias pro-
 missiones (vt iam ex parte recensuimus) fides
 respicit, Euangelium prædicat: quæ omnes
 idcirco relationem habent cum fide. Nihil
 ergo hæc techna metonymica ad Scripturæ
 huius deprauationem Caluinum iuuat. Qua
 submota, corrumpit quoque quam illi subter-
 nit antithesis. *Subaudiendam, ait, antithesim qua*
*Antithesis
 subaudiē-
 da euerit-
 tur.*
lex

lex discernitur ab Evangelio. Atqui talem hęc antithesin subaudire necesse non est, quando verbum fidei Evangelicę tametsi à doctrina purè legali distinctum sit, eaq̃ue multò perfectius & excellentius, vt nuper explicuimus, tamen hoc loco non per modum distinctionis aut comparationis, sed positiuè & simpliciter ab Apostolo enunciat, veluti enunciatiuum eius quod Moyses obscurius dixerat, *Propè est verbum in ore tuo, &c.* Sed nota distinctionis, quam ex hac antithesi Calvinus fabricat, ad vniuersum Apostoli textum deprauandum efficacior est. Ex hac (inquit) distinctionis nota colligimus, sicuti lex opera exigit, ita Euangelium nihil aliud postulare, nisi vt fidem afferant homines ad recipiendã Dei gratiam. Huc videlicet & ad hunc scopum tota hactenus tam proluxa tam, varia in hunc locum Caluini disputatio collineauit. Hac tandem arte totã Apostoli disputationem subuertere se posse confidit. Hęc quippe distinctionis nota, si vera esset, omnem hęc Pauli sententiam, quam ex Mose desumpsit, funditus euerteret. Apostolus hactenus iuxta Mosen docuit, iusticiam ex lege hanc vocem habere, *Qui facit eam homo, viuet in ea: nihil quàm docere ac promittere: iusticiam autem ex fide longè aliam vocem habere, Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud: quę sententia ex illo principio pendet (ait ipse Calvinus) Circumcidet Deus cor tuum, vt diligas*

Legis & Evangelij distinctio Caluina Pauli disputationem evertit.

- 1.
- 2.
- 3.

4.
 5.
 eum toto corde. Talis autem non habebit man-
 dam Dei graue, subinfert Augustinus. Ita
 ueritas ex fide, & uerbum fidei quod Apo-
 stolus se prædicare dixit, hunc in primis ef-
 fectum habet, ad hoc præcipue ualeat, ut lex
 mandatorum Dei opere compleatur. Nunc
 Caluini maledicta distinctio totum hoc euer-
 tit, totum beneficium gratiæ Christi homi-
 nibus Christianis eripit. *Lex (inquit) opera
 cogit: Euangelium nihil aliud quam fidem postu-
 lat ad recipiendam Dei gratiam.* Perniciosissime
 fallit. Lex opera requirit: Euangelium gratiam ad-
 fert, qua hæc opera præstetur. Euangelium in-
 numerata alia docet, postulat, requirit, quam
 fide. Ipsa quoque fides non ad recipiendam Dei gra-
 tiam ueluti olla quædam, ut alibi Calvinus loqui-
 tur (quæ alibi cõminutã reliquimus) sed ad dis-
 ponendum peccatorẽ ut corã Deo iustificetur,
 in Scripturis cõmedatur. De hac re tota ali-
 bi multa disputauimus, & quidẽ in capite ac
 fronte ipsa Antidotorũ nostrorũ. Hoc loco id
 tantum notare conuenit, sic Caluinum con-
 cludere, ut totam Apostoli disputationem
 presentem funditus euertat.

Restant adhuc paucula, quæ tribus uerbis
 expediemus. Particula ista (ait Calvinus) *Quod
 predicamus*, ideo adiecta est, ne quis suspicaretur
 Paulum à Mose dissidere. Testatur namque, in Euã-
 gelij ministerio sibi cum Mose optimam esse consen-
 sionem: quandoquidem ille quoque non alibi quam in
 gratia promissione diuine gratiæ felicitatem no-
 stram

Paulus cū
Mose con
sentiens,
operū iu
sticiam ex
fide docet

Calvinus
assertor
audax ni
hil probat

Deuter.
30.15.

strā locauerit. Huius adiectæ particula obseruatio adeò Caluini corruptelæ nõ fauet, vt eã prorsus iugulet. Quantò enim certior & arctior est Pauli cū Mose in Euangelij ministerio cõsensio, tantò certius & fortius probatur, verbū fidei, seu iusticiã ex fide quã Paulus prædicauit, esse bonorū operū iusticiã ex fide & gratia Christi. Moses enim non alium ob finem nec alio sensu dixit, *Verbum mandati diuini propè esse in ore & in corde,* adeoque in manibus, quàm (quod subiunxit) *vt facias illud.* Mandati exequutionem respexit; promissionem gratuitam, quam Calvinus sibi fingit, non attingit. Assueuerat quidem homo ad quidlibet asseuerandum audax, *Mosem quoque non alibi quàm in gratuita promissione diuina gratia felicitatem nostram locare,* sed vbi eadem, aut quibus verbis, non designat, quia designare non potuit, sed asseueranti hoc sibi superbus hæreticus credi voluit. Sanè ex aduerso Moses in verbis proximè sequentibus hoc modo populum affatur: *Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & econtrario mortem & malum, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & custodias mandata illius ac ceremonias atque iudicia, & viuas, atque multipliceris, benedicatque tibi in terra ad quam ingrederis possidendam.* Collocat clarissimis verbis vitam & bonum, felicitatem populi Dei, non in fictitia promissione Calviniana, sed in iusticia bonorum operum

operum ex fide ; in dilectione Dei, in obser-
 ratione mandatorum eius. Sic vndique ap-
 parer, locum hunc insignem, qui Caluino
 nifus est ad aſtruendam ſolius fidei iuſtifica-
 tionem, & ad omnem bonorum operum iu-
 ſtitiam à cauſa ſalutis longiſſimè remouen-
 dâ accõmodatiſſimus ; quiq; vt loquitur,
in varijs difficultatibus eum ac ſuos expediret; pror-
 ſus è contrario iuſtitiam bonorum operum
 ex fide clariſſimè aſtruere, & inuictè proba-
 re. Non ſine faſtidio huic vni loco tam diu
 immoratus fui: ſed ad id me coëgit partim
 tam neceſſarij dogmatis orthodoxa expli-
 catio, partim importuni & verſipellis aduer-
 ſarij tam proluxa & accurata deprauatio. In
 ſequentibus locis breuioreſ, Deo donante,
 erimus.

10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem con-
 feſſio fit ad ſalutem.*

Perſpicuè & inuictè docet hic locus, non
 ex ſola fide Chriſtianos iuſtificari aut ſal-
 uari, ſed præter ipſam fidem, quæ corde te-
 netur, externam quoque oris confeſſionem
 (quæ ſanè multiplex eſt, & latè pater, multoſ-
 que pietatis actus coniunctos habet) ad ſa-
 lutem quoque valere, & ſalutis noſtræ per
 Chriſtum vnam cauſam, vnum medium eſ-
 ſe, nõ ſecus quàm fidem. Nam ſi hæc propo-
 ſitio, *Corde creditur ad iuſtitiam*, probat perſpi-
 cuit, ex fide homines iuſtificari, & vnam iuſti-
 tia

Fides ſola
 ad ſalutẽ
 non ſuf-
 ficat.

tix causam fidem esse; pariformiter altera propositio, *Ore fit confessio ad salutem*, probat peripicue, ex confessione fidei homines saluari, & vnam salutis causam esse ipsam fidei confessionem: quam videlicet non illi tantum faciunt, qui quauis data occasione fidei Christi ore profitetur, etiam propositis tormentis, vitæque ac fortunarum discrimine, sed etiam qui quolibet opere bono, & quolibet cultu externo Christianis hominibus proprio, Christianos se esse, Christi se fidem tenere ac nomen colere, opere profitentur. Ita hæc omnia pietatis opera iuxta Paulum ad salutem valent, non secus quam fides ad iustitiam. Inter iustitiã autem ac salutem aliquid discriminis esse, aut iustificari in Scripturis aliquid aliud esse quam salutem adipisci, nemo (quamlibet hæreticus) negauerit; & vt neget, ex varijs Scripturis facile refutabitur, quas alio in loco produximus. Sed & hoc ipso in loco quum prius Apostolus dixisset, *Si constitearis in ore tuo D. Iesum, & in corde tuo credideris quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris, vbi fidei in corde salutem tribuit; nunc dicit, Corde creditur ad iustitiam: apertè docens, iustitiam & salutem apud illum pro eodem haberi. Iustificamur ergo iuxta hæc Pauli verba non secus ex bonis operibus quæ fidei confessio facit, quam ex ipsa fide qua corde creditur.*

Nunc vide vt clarissimam Apostolicæ doctrinæ

De Iustificat. lib. 5. cap. 7.

Salus & iustitia idem valent.

lucem omnibus ingenij sui viribus of-
 fuscare, premere, extinguere contendit Cal-
 uinus. Mirum (inquit) videri queat, cur nunc salu-
 tis nostrae portionem fidei tribuat, toties antehac te-
 status sola fide nos saluos fieri. Hoc Apostolum
 antehac & saepe testatum esse fingit & asse-
 verat audacter Calvinus. Sed Apostolum an-
 tehaec nunquam hoc testatum esse, contra
 Caluini corruptelas, vbi hoc Apostolum
 testari voluit, luculenter ostendimus. Nunc
 ad praesentem difficultatem quid respondeat,
 vide. Sed, inquit, ex eo colligi non debet, confes-
 sionem salutis nostrae causam esse: tantum significare
 vult quomodo salutem nostram Deus perficiat;
 nempe dum fidem, quam pectoribus nostris indidit,
 emergere per confessionem facit. Vide vt haec eua-
 sio in caput impostoris recidat. Iuxta eam
 quippe nec fides vlla causa salutis erit. Sic
 enim cum Caluino Apostolum glossabimus:
 Quod Apostolus hic ait, Corde creditur ad iu-
 stitiam, vel toties alibi, Ex fide iustificamur; ex eo
 colligi non debet fide salutis nostrae causam
 esse: tantum significare Apostolus voluit
 quomodo salutem nostram Deus perficiat;
 nempe vt fidem pectoribus nostris inserat
 antequam ab ea iustificamur. Si enim causa
 salutis confessio fidei non est, nec causa iu-
 stitiae fides erit; quando eodem modo Apo-
 stolus loquitur de confessione fidei respectu
 salutis, quo de ipsa fide respectu iusti-
 tiae. Haec igitur euasio aut nulla est, aut, si
 VV aliquid

Caluini
 euasio in
 caput suu
 recidit.

aliquid est, non secus cōtra fidem iustifican-
tem valet. Aliam nunc decipulam impostor
tendit, si prior non succedat. Imò (inquit) no-
tare Apostolus voluit quæ sit fides vera, ex qua hic
fructus emanat, ne quis inanem fidei titulum pro ea
pretenderet. Nam cor ita accendere debet studio
gloria Dei, vt flammam suam extrà egerat. Sed nec
hæc decipula vigilantibus imponet. Non
quæ sit fides vera, sed quid præter fidem ve-
ram ad salutem requiratur, Apostolus doce-
re voluit. Non dicit, Corde creditur ad ius-
titiam, & si verè creditur, oris confessio nec-
cessariò nascitur, vt fides ad salutem valeat;
qui sermo figmento Caluini conueniret: sed
ait Apostolus duo distincta. Vnum, corde credi
ad iustitiam: alterum, ore confessionem fieri ad sa-
lutem. Deinde, tametsi confessio fidei sit veræ
fidei fructus, & cor ita accendere fides debe-
ret, vt flammam suam extrà egerat; aliud ta-
men est radix, aliud fructus ex ea progermi-
nans. Diuersæ actiones ac virtutes sunt, qua-
rum vtraque suam habet certâ ac propriam
vim: sanè vt vtraque coram Deo iustificet,
vtraque salutem adferat. Cuiusq; boni ope-
ris radix est bona voluntas, quam arborem bo-
nam Christus vocat. Et vt vnus radicis at-
que arboris multi sunt fructus; ita non solum
à radice distinctam, sed & quilibet seorsim
fructus distinctâ ac propriam domino vili-
tatem, propriû gustum, propriâ delectationem
affert. Ita bonæ voluntatis quodlibet
optis

Impostu-
ra Caluini
alia.

Fidei con-
fessio vir-
tus, à fide
distincta.

Matth. 7.

opus bonum suam apud Deum mercedem
 habet. Tandem & hoc ipsum falsum est, con-
 fessionē oris esse solius fidei fructum, quum
 multo magis charitatis sit fructus, & ex cha-
 ritatis radice magis nascatur quàm ex fide:
 quod suprā contra Calvinum de omni ope-
 re bono in genere demonstrauius. Postre-
 mo, fides vera est, tamen non viua, quæ hoc
 fructu caret, de quo mox plura. Tertiū nunc
 effugium fabricat sibi Calvinus: Et sanè qui est
 iustificatus, salutē iam obinet. Nō ergo minus corde
 creditur ad salutem, quàm ore sit confessio. Vides sic
 distinxisse, vt iustificationis causam ad fidē referret;
 deinde ostenderet quid ad salutē consummandam sit
 necessariū. Neque enim corde credere quis potest, quin
 ore confiteatur: & necessitas quidem est perpetua
 consequentia, non quæ salutem confessioni ascribat.
 Vide & attēde, Lector, quid Calvinus cōclu-
 dat. Videl. salutem confessioni oris non ascribi, id
 est, nō esse verū sed planè falsum quod Apo-
 stolus dixit, Ore sit confessio ad salutē. Hæc quip-
 pe verba, salutē confessioni ascribunt, non secus
 profectō quàm iustitiam fidei ascribit altera
 Pauli propositio, Corde creditur ad iustitiā. Ita
 Calviniana resolutio est textus Apostolici
 manifesta contradictio. An isto impottere
 aliquid magis impium hæc ætas vidit?

Sed expendamus nunc qua arte ad hanc
 conclusionem peruenit. Qui iam iustificatus
 est, salutem obtinet. Verum est; sed quam nūc
 obtinet salutem, eam conseruare & ad finem

V V 2 cum

Supr. c. 9.
 ver. 6.

Effugium
 Caluini
 tertium.

Calvinus
 Apostolo
 contrariū
 concludit

cum ea perseverare debet. Atqui (ait Calvini-
nus) sic inter utraque dislinxit Apostolus, ut causam
iustificationis & salutis poneret in fide; postea osten-
deret quid ad eam consummandam sit necessarium.

*Sola fides
salutem non
perficit.*

Oprimè. Confessio fidei, aliaque bona opera
post primam ex fide iustificationem, ad con-
summandam salutem sunt necessaria; ergo
sola fides ad consummandam salutem non
sufficit. Si ad consummandam salutem sola
non sufficit, ergo nec simpliciter ad salutem sola
sufficit: nisi fortè saluus esse possit, cuius sa-
lus inchoata quidè sit, sed non consummata.
Pulchre Calvinus suam solam salutem fidem ipse
met euertit. Dices Calvinum in proximis ver-
bis huic malo occurrere, subiungit enim: *Corde
credere nemo potest, quin ore confiteatur. Ita necessitas
quidè est perpetua consequentia; vna ab altera diuelli
non potest; sed ista necessitas, aut ista perpetua
consequentia, salutem confessioni non ascribit.* Respon-
deo: Tamen si vera hæc esset necessitas perpetuæ
consequentia quæ Calvinus fingit; tamen
falsum penitus est quod addit, *quæ confessioni
salutem non ascribit*, quia verum certissimè est quod
Apostolus dicit, *Ore fit confessio ad salutem.* Vides
ut hæc oris confessio, siue necessario ex fide
sequatur siue non, siue perpetuam conse-
quentiam cum fide habeat siue non, ipsamet
ad salutem valet; & ipsi confessioni salus
ascribitur. Ita inanis est tota Caluini iusta,
inanis & vana contra perspicuam verbi Apo-
stolici veritatem tota & tam varia eius ter-
giuersatio.

*Credere
potest qui
non con-
fiteatur.
Luc. 12.*

conuersatio. Tandem stultitiæ ac dementiæ
plenum est quod asseuerat, & non probat;
neminem posse corde credere, quin ore con-
fiteatur. Credidit in Christum Petrus, quan-
do eum ad vnius ancillæ vocem ore confite-
ri noluit. An mentitur Ioannes quum scrip-
sit: Veruntamen & ex principibus multi crediderunt
in eum; sed propter Phariseos non confitebantur,
vt in synagoga non eijcerentur, dilexerunt enim glo-
riam hominum magis quam Dei? Postremò, si
omnis qui credit in Christum, necessariò
confiteatur illum, vt quid in Euangelio Chri-
stus Apostolos suos in eum credentes tam vi-
gilanter ac seriò hortatur, vt eum coram ho-
minibus confiteantur? Dico vobis amicis meis, Luc. 12.
ne timeamini ab his qui occidunt corpus, &c. Dico
vobis, Omnis quicumque confessus fuerit me coram
hominibus, & Filius hominis confitebitur illum co-
ram Angelis Dei. Qui autem negauerit me coram
hominibus, negabitur coram Angelis Dei. Omnes
illas ad fidei confessionem hortationes ces-
sare oportuit, veluti superuacaneas, & ad so-
lam fidem hortari suos Christus debuit, quan-
do qui corde credit, ex necessaria & perpe-
tua consequentia ore confiteatur. Sed ineptias
& insanias Calvinianas refutandi nullus fi-
nis foret. Tenemus interim Apostoli senten-
tiam: non solam ex corde fidem ad iustitiam
ac salutem valere, sed & oris confessionem,
aliâque pietatis opera ei coniuncta, adeoque
quodlibet opus bonum (quando non est co-
rum

rum, quæ eiusdem generis sunt, diuersa habenda ratio) ad iustitiam quoque & salutem coram Deo magnam vim habere; adeoque ex illis, non secus atque ex fide, homines iustificari ac saluari.

14. *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?*

SEpe monui, vocem fidei quoties hæretici in Scripturis legunt, suam eos specialem fidem, fiduciam, securitatem, impiam presumptionem semper somnare. Facit id hoc loco Calvinus strenuè: cuius ineptia paucis refutabitur. *Vult hic (inquit) coniungere Paulus inuocationem cum fide, ut sunt profectò res inter se coniunctissimæ. Qui enim Deum inuocat, se quasi ad vnicum salutis portum recipit: & quod certissimi refugij genus est, velut filij in optimi atque amantissimi patris sinu se confert, ut eius cura protegatur, indulgentia ac charitate foueatur, benignitate subleuetur, virtute fulciatur. Hæc hætenus vera ac bona sunt; mel & lac Calvinianum, quo lectorum ora primò suaviter illinit ac lactat, vt mox sine vlla amaritudine pestilens venenum infundat. Sic enim prosequitur: Id facere nemo poterit, qui non ante de paterna Dei erga se benevolentia tantam persuasionem animo conceperit, vt ab eâ qui dicit ausit expectare. Ecce tibi, Lector, pro fide Evangelica, quam Paulus hic designat, fides Calviniana, sola diuinæ benevolentiae indubitata persuas-*

Fide Euan-
gelicâ in
suam fidem
transfor-
mat Cal.

ta persuasio, sine qua nemo Deum vt filius
 patrem inuocare potest. Id si ita est, menti-
 tur Scriptura quæ dicit, *Sentite de Domino in* Sap. 1.
bonitate; quod est in Dei bonitatem veluti in
 salutis portum se recipere; & *in simplicitate*
cordis querite illum: quoniam inuenitur ab his qui
non tentant illum. Sic igitur de Domino in
 bonitate sentire oportet, vt non in securita-
 te, sed in simplicitate & humilitate cordis,
 cum timore & tremore salutem nostram operantes, Philip. 2.
 queramus illum: quia ab his inuenitur qui
 non tentant illum; quod sua fiducia & præ-
 sumptione hæretici faciunt, qui in medijs
 sceleribus ac flagitijs fiducia hac sua carere
 nolunt, vt alibi explicatum dedimus. De hac
 persuasione & fiducia Apostolus hic nihil
 loquitur. De fide loquitur Euangelica, & In Antid.
 Euangel.
 ad Ioa. c.
 20. v. 28.
 quam tota Euangelij prædicatio de Deo, de
 Christo, de gratia, de peccato, de Sacramen-
 tis, de vitæ nouitate, suo ambitu comple-
 fitur. Sed cum Caluino pergamus: Ergo
 qui Deum inuocat, in eo præsidium sibi esse repositum
 confidat, necesse est. Confidere sanè & optimè
 confidere oportet, sed absque persuasione
 illa Caluiniana, quæ simplicitatem cordis,
 timorem & tremorem, sui ipsius probatio-
 nem & examen (à Scripturis desiderata) lon-
 gissimè remouet. Aliud spes bona fidelium,
 quæ pietatis conditionem adiunctam habet
 (probatio enim spem adfert, quæ non confundit) Rom. 1. 4.
 aliud certa persuasio Caluiniana, quæ om-
 nem

Suprà
pag. 32.

Iac. I.

Mat. 23.

Caluinist.
fides inuo-
cationem
parit hy-
pocriticā.

Matth. 15

nem à nostra parte pietatis cōditionem penitus excludit, vt alibi ex eius verbis patefecimus. Sed nunc, vt suā certam persuasione[m] Calvinus ex hoc loco velut ex igne aquam elicere contēda, tvideamus. *Siquidem*, inquit, *de ea inuocatione loquitur Paulus qua a Deo approbatur*. Haud dubiē: nā qui postulat in spe nihil *hesitans*, ita inuocat, vt eius inuocatio à Deo approbetur: quod eius in Euangelio oratio docuit: *Domine, si vis, potes me mundare*. De potentia Dei nihil hæsitaui[t], de voluntate Dei bene speraui[t]. Pergit Calvinus: *Nam hypocritæ quoque inuocant, sed nō in salutē, quia sine vilo fidei sensu*. Hypocritæ sine fructu inuocant, non quia sensu fidei Calvinianæ carent, sed quia illo sensu nimis abūdant. Suis enim adhuc in flagitijs ac sceleribus manētes, inuocare audent, & Deum sibi propitium confidunt, quod Calvinistarum fides facit. Ille enim verē hypocrita est, qui labijs suis Deum honorat, voce inuocat, cor autem eius longē à Deo est, cor habet affectu & reatu peccati plenū. Concludit iam Calvinus: *Vnde apparet quā nihil sapiant omnes Scholastici, qui Deo se dubitanter offerunt, nulla fiducia subnixi*. Calumniatur & fallit. Scholastici cum bona & firma spe se Deo offerunt, omni dubitatione remota ex parte bonitatis diuinæ, sentientes de illo in bonitate, sed sentientes de seipsis in humilitate, à fiducia & certa persuasione Calviniana veluti à certo præcipitio & altero desperationis extre-

extremo abhorrent. At (inquit Calvinus) longe aliter Paulus, qui illud tanquam confessum summa sumit, non posse nos rite precari, nisi de successu certo persuasos. Vide frontē meretriciam credacissimi impostoris. Dixit Paulus, Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? ergo docet non aliter posse nos Deum rite inuocare, nisi de successu certo persuasos. Ita credere apud Paulum hoc vnum & propriè Caluino significat, esse de successu certo persuasum. Sed expectamus vt hanc suam prophanam & nouellam glossam confirmet ac probet. Neque enim (inquit) fide implicite designat, sed eam certitudinem, quam de paterna eius beneuolentia concipiunt animi nostri, vbi per Euangelium reconciliat nos sibi, & in filios adoptat. At hæc probatio nulla est, sed mera petitio principij qua idem per se ipsum probatur. Credere (inquit) significat de successu certo esse persuasum, quia significat certitudinem de paterna Dei beneuolentia conceptã. Atqui hæc ipsa certitudo concepta nihil est aliud quàm de successu certa persuasio. Non secus illam quàm hanc negamus: non secus illa quàm hæc prophana & impia nouitas est. Vide igitur & attende Lector. Calvinus vt Scripturas deprauer, nouisq; illis & peregrinos sensus affingat, sua placita sumit, illa affirmat, asseuerat, ponit, repetit, inculcat. Sic exponendæ Scripturæ nec loci circumstantia, nec aliarum Scripturarum collatio, nec antiqua fidei re-

V v s gula,

Calvinus
idē per se
ipsum
probat.

Scripturas
deprauã-
di ars Cal-
uiniana.

gula, nec veterum Patrum iudicia, sed sola cuiusque hæretici propria placita, prinata dogmata, regula deinceps & norma (Caluini exemplo) erit. De qua fide Paulus hic loquatur, & quid apud eum vox *credere* hoc loco significet, tota eius disputatio manifestum facit. De fiducia aut certitudine beneuolentiæ diuinæ, de certi successus persuasione, ne gry quidem hoc loco Paulus. Premiserat generalem sententiam: *Omnes qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Hæc inuocatio omnem Dei cultum legitimum ac necessarium significat. De Enos dicitur, *Hic cepit inuocare nomen Domini,* quia primus post impiū Cain seruire Deo cepit. *Samuel inter eos qui inuocant nomē Domini,* ait alia Scriptura, id est, inter veros Dei cultores. Atqui nullus Dei cultus absque fide est, & omnis Dei cultus à fide orditur. Sed hæc fides ad inuocationis & cultus exordiū generalissima quædam fides esse potest, nondum per quoslibet fidei articulos distinctè traditos instructa. *Accedentem ad Deum* (ait Apostolus) *oportet credere quia est, & quia inquirentibus se remunerator est.* Hæc fides satis adhuc generalis & implicita est. Hac tamen ad Deum acceditur, hac Deus inuocari potest. Prima enim ad Deum accessio per inuocationē fit, quæ vt sine fide esse non potest ad omnia credenda parata, ita fidem plenissimè de omnibus instructā nō exigit. Quū Ana-

Gen. 4.

Plal. 98.

Inuocatio
esse potest
cū fide ge-
nerali &
implicita.

Hebr. 10.

Ananias Paulo diceret, *Exurge, & baptizare,* ^{Act. 21. 16}
& ablue peccata tua, inuocato nomine Iesu; an
 Paulus inuocare iussus, omnem tunc & ex-
 plicitam, claram atque distinctam eorum,
 quæ credenda sunt, notitiam aut reuelationem
 habuit? Imò verò hoc vnum de cælo
 edoctus, *Iesum Nazarenum Dominum ac*
Mesiam esse quem persequebatur, ad reliqua
 perdiscenda Ananiam audire iuberur: *Sur-* ^{Act. 22.}
gens vade Damascum, & ibi tibi dicitur de omnibus ^{10.}
quæ te oporteat facere. Christus quoque ei dixit: Ad
hoc apparui tibi, vt constituam te ministrum & te-
stem eorum quæ vidisti, & eorum quibus apparebo
tibi, id est, eorum quæ te postea per inspira- ^{Act. 26.}
tionem & visionem docebo. Paulus ergo cum ^{16.}
 fide adhuc implicita, & multarum rerum,
 quæ ad fidem pertinebant, ignara, cum fide
 tamen quæ ad omnem reuelationem cre-
 dendū parata fuit, inuocare nomen Iesu iu-
 berur. Sic igitur Paulus hoc loco manifestè
 docet inuocari Deū non posse, nisi ab eo qui
 iam in Deum credit, seu fide plena & expli-
 cita, seu generali aliqua fide & implicita.
 De certitudine fidei Calvinianæ nihil aut
 Paulus hic aut alia vlla Scriptura insinuat.
 Fidem implicitam vt non apertè hoc loco
 designat Apostolus, ita sub generali fidei
 nomine eam designari, ipsius Pauli prola-
 tum exemplum manifestè conuincit.

Alia nunc ex parte hæreticis hoc loco oc-
 currendum est. His quippe Pauli verbis alij
 abutun-

abuntur, vt Sanctorum inuocationem impietatis arguant, quia in Sanctos, quos inuocamus, nequaquam credimus, nequaquam credere oportet. Sed in promptu solutio est, quæ apud Scholasticos trita est, inuocationem cum fide cõiunctam, eam esse, quæ, quod petit, ab eo implendum petit quem inuocat; quæ soli Deo propria est, bonorũ omnium auctori & largitori: Sanctorum inuocatione huiusmodi esse, vt nõ per eos impleri roget quæ petimus, sed tantum per eos impetrari velit quæ desideramus.

S. Thom.
2. 2. q. 83.
art. 4.

14. *Quomodo credent sine predicante?*

15. *Quomodo predicabunt, nisi mutantur?*

Luculenta est hoc loco Apostoli gradatio. Sicuti radix inuocationis est fides, & sine fide nulla est Dei inuocatio, sicuti fidei radix & principium externum (nam interna & præcipua radix, Dei gratia est) auditus doctrinæ fidei, seu prædicatio Evangelij est; & sine externa prædicatione (ordinariè loquendo) fides non addiscitur: sic radix legitimæ prædicationis est missio: nec prædicandi Dei verbum vlla legitima potestas est, vbi legitima missio non præcellerit. Valet hic locus contra hæreticos omnes fures ac latrones, qui ascendunt aliunde, qui prædicandi officium sibi arrogarunt à nemine missi, quia nec à Deo extra ordinem (vt ex eo patet, quòd extraordinariæ missionis

Missio legitima
prædicandi
necessaria

omnis signis carent) nec ab Ecclesia iuxta ordinem a Christo institutum missi sunt: de qua re tota latè & copiosè disputauimus in Promptuario nostro Catholico.

Quid ad hunc locum Calvinus, qui se totique similes, verbum Dei prædicantes, & omni legitima missione destitutos, hinc perstringi facile sentiebat? Habet in promptu qua elabatur. De missione diuina loqui Paulum vult, non Ecclesiastica. *Nequaquam* inquit, *de legitima cuiusque vocatione agit Paulus. Tantùm hoc docet, non fortuitò pluere Euangeli-um ex nubibus, sed per manus hominum asserri, quò diuinitus missum est: denique nullum esse verbi Dei præconem, quem non peculiari sua prouidentia Deus suscitavit.* Sanè quia Ecclesiastica missione hic latro caruit, qualem Christus in Ecclesia sua instituit, de diuina tantùm vocatione ac missione veluti ad verbi prædicationem necessaria loqui Apostolum vult. Sic pecuniarius latrunculus furti redarguitur, quia bonæ fidei possessionem, qualem leges instituunt, allegare nō potest, ac tamen Calviniana (si fides ei habeatur) facile elabatur; dicens bonorum temporalium possessionem legitimam nec ab humanis legibus pendere, nec fortuitò pluere ex nubibus, sed per manus hominum comparari, in quorum manus diuinitus mittuntur: nec vllum esse pecuniarum legitimum possessorem, cui non peculiari sua prouidentia Deus

In festo S.
Andree,
& S. Mar-
& in festo
Pentec.

Calvinus
sicut latro
euationes
querit.

Deus eas largitus sit. Sanè non secus latro ad rei furto sublata legitimam possessionem Dei providentiã & Dei largitionem, secluis humanis legibus, allegare potest, quàm ille animarum latro ad verbi Dei legitimam prædicationem (cui se intrusit, legitimo detruso Geneuensi Episcopo, cum Pastoribus illic Catholicis) Dei providentiã & Dei missionem, seclusa Ecclesiastica, allegat. Atqui contra hanc diuinam (quam sibi Calvinus finxit) missionem, alio in loco, quod satis videri potest, disputauimus, vbi & ostendimus, eos, qui à Deo extra ordinem tempore Apostolico vocati sūt, Ecclesiastica tamè ordinatione, manuum impositione ac missione vsos fuisse. Paulus verò hoc loco vt de prædicatione verbi ordinaria loquitur, quæ ad fidem propagandam ordinarium medium est; sic de missione ordinaria, quæ non solùm diuina sed & Ecclesiastica est, nemine hæctenus dubitante, locutus est.

Ad A&.
c. 13. v. 3.

17. *Ergo fides ex auditu : auditus autem per verbum Christi.*

Conclusio hæc est gradationis Apostolicæ antegressæ; fidem, tamen Dei donum sit, qui spirat vbi vult, & quomodo vult, ordinario tamen & constituto quodam modo ex auditu prædicantis Ecclesiæ, cuius ministerio Deus vtitur, hominum animis inge-

regenerari. Hanc Apostoli conclusionem
 aperte agnoscit Calvinus. Est (inquit) nota
 hic locus de efficacia predicationis, quoniam ex
 eadem nasci testatur. Confessus nuper quidem est,
 se nihil proficere (quia non omnes obediunt Eua-
 gelio) sed ubi Domino operari placet, hoc instrumen-
 tum est potentia ipsius. Et certe vox hominis vsque
 in animam penetrare sua virtute non potest; & ni-
 mirum extolleretur mortalis homo, si diceretur vim
 habere nos regenerandi. Lumen etiam fidei subli-
 minus quiddam est, quam ut humanitus conferri pos-
 sit. Verum hac omnia non obstant quin Deus per homi-
 nis vocem efficaciter agat, ut eius ministerio fide in ho-
 mines creet. Hæc omnia sana & orthodoxa sunt,
 ipsissimamque Apostoli conclusionem ex-
 plicant. Sed vide nunc quale venenum in-
 fundat. Præterea, inquit, notandum est, non
 alia quam Dei doctrina fidem fundari. Neque enim
 ex qualibet doctrina fidem oriri tradit Paulus, sed
 nominatim ad Dei verbum restringit: quæ restrictio
 absurda foret, si in hominum placita recumbere fi-
 des posset. Quare facessant omnia hominum com-
 menta, ubi de certitudine fidei agitur. Hoc modo
 etiam concidit Papale illud phantasma fidei implici-
 te, quod fidem à verbo auellit: ac multo magis exe-
 cranda illa blasphemia, suspensam manere verbi fi-
 dem, donec eam fulciat Ecclesiæ autoritas. Habes
 Caluini toxicum, sanæ doctrinæ (quam præ-
 miserat) pestilenter admixtū. Sed vide pau-
 cis fraudem & impietatem. Paulus docet,
 fidem esse ex auditu predicantis Ecclesiæ, per cuius
 ministri-

Eccl. pre-
 dicationis
 efficacia.

Fidel
generanda
medium
externum
auditus
duplex.

Ephes. 4.
12. & 13.

ministerium efficaciter agit. Addit hunc auditum esse per verbum Dei, quia non nisi verbum Dei Ecclesia prædicat, docet, annunciat. Duo ergo fidei generandæ externa media ponit Paulus, Ecclesiam prædicantem, Dei verbum prædicatum. Vnum ab altero diuelli non debet. Nec verbum ab Ecclesia separari potest, quia illa Dei verbum infallibiliter & perpetuò habet; iuxta apertissimas & varias Christi promissiones, quod & ipse dati ministerij finis necessariò conuincit; nec Ecclesia à verbo separari debet, quia per Ecclesiæ ministerium hoc verbum omnes audire Deus voluit. Nunc Calvinus, alijque hodie hæretici, sic verbi auditum virgēt, vt ab illo quomodocumque vel lecto vel audito, siue per Ecclesiæ vocem siue non, fidem esse pertinacissimè velint. Nos Catholici sic verbi auditum virgemus, vt ex illo fidem quidem esse libentissimè agnoscamus, sed ex illo ab Ecclesia prædicante (cuius ministerio Deus vt voluit) nobis tradito & explicato; à verbo, inquam, per os Ecclesiæ audito. Duplicem auditum ponit Paulus; vnum verbi Dei, alterum verbi Dei ab Ecclesia prædicati. De priori dixit, *Quomodo credent quem non audierunt?* id est, cuius verbum non audierunt? de altero dixit, *Quomodo audient sine prædicante?* id est, ipsum Dei verbum vnde vel à quo audient, nisi à prædicatore legitime misso? Aduerte, Lector, hunc dupli-

cem

tum auditum . Nec solū per se verbum,
 nec solam per se Ecclesiā, sed verbum & Ec-
 clesiam, verbum per os Ecclesiæ audire
 oportet, vt fidem habeas. Nunc attende
 Caluini venena. *Fidem (inquit) ad Dei verbum
 nominatum restringit Paulus.* Fallit impostor.
 Non ad Dei verbū simpliciter ac quomodo-
 cumque prolatum, aut vbiicumque vel lectū
 vel inuentum, sed ad *Dei verbum auditum, &
 à prædicante Ecclesia auditum (Quomodo enim
 audient sine prædicante?)* fidem restringit Pau-
 lus. Addit Calvinus, *hanc restrictionem absur-
 dam fore, si in hominum placita recumbere fides
 posset.* Iterum fallit. Hæc restrictio ad ver-
 bum Dei in suo ambitu complectitur verbū
 Dei auditum ex ore prædicantis. Nunc, qui
 verbum prædicant, homines quidem sunt,
 sed homines Dei sunt, à Deo iuxta ordinem
 ab ipso constitutum missi (*Quomodo enim præ-
 dicabunt, nisi mittantur?*) à Deo testes verita-
 tis constituti, à Deo *ad consummationem San-* Eph. 4. 12.
ctorum dati. Nec isti homines sua placita sed
 ipsum Dei verbū docēt. Quia nō sua placita
 sed Dei verbū docēt ac docebūt, ideo Apo-
 stolus dixit, *Quomodo audiet sine prædicatōe?* ideo
 credituros ad vocē prædicātis Ecclesiæ misit.
 An cōtra Paulū sic obgāniet Calvinus? Cur
 dicitis, *Quomodo audiet sine prædicatōe?* Cur ad ho-
 mines prædicātes audiēdos nos mittis? Cur in
 hominū placita fidē nostrā recūbere doces?
 Cur illā restrictionē non tenes, *Fides est ex au-*
ditu

Ecclesiæ
 prædica-
 tio nō est
 humana
 aut fallax
 doctrina.



ditu verbi Dei? Cur addis, *audito predicante?* Atqui optimè sciebat B. Apostolus Christum pro sua sapientia prædicantes in Ecclesia ita posuisse, ita misisse, ita dedisse, ut ad omnem diuini verbi veritatem docendam Spi-

ritum S. apud se in æternum manentem haberent, ut
 Ioan. 14. verba sua in ore eorū & in ore seminis eorū poneret,
 Esai. 59. non recessura ab eis, ut ad hunc finē cum illis
 Mat. 28. prædicantibus ac docentibus omnibus diebus,
 usque ad consummationem seculi, futurus esset,
 ideòq; non sua placita sed Dei verbū semper
 & infallibiliter doceret. Nunc igitur cum
 Caluino rectissimè nos dicimus: Hæc re-
 strictio, *Fides est ex auditu verbi Dei, prædican-
 te hoc verbum Ecclesia*, absurda foret, si in
 aliud recumbere fides posset quàm in ver-
 bum Dei ex ore prædicantis Ecclesiæ audi-
 tum. Ita sanè est. Qui verbum Dei ab
 alio quàm ab Ecclesiæ prædicantis ore ac-
 cipit, ordinem à Christo constitutum in-
 uerit, & mille se periculis exponit. Ita-
 que (ut reliqua Caluini venena expediamus)
*faceffant sanè oportet omnia hominum com-
 menta*, hominum sanè vel infidelium, vel
 hæreticorum, vel priuatorum quæcumque
 iudicia, vbi de fidei certitudine agitur, &
 eam peccare oportet à verbo Dei ex ore prædi-
 cantis Ecclesiæ auditu. Nec execranda blasphem-
 ia, sed Apostoli hoc loco doctrina est, *sus-
 pensam manere verbi fidem, donec eam fulciat Ec-
 clesiæ autoritas*. Ait enim: *Quomodo verbum au-*
 dunt

Ecclesiæ
 prædicatis
 certa au-
 thoritas.

audire sine predicante? id est: Donec accesserit
 predicantis Ecclesie vox, suspensus, dubius,
 incertus omnis auditus est. Sanè hæc prædi-
 cantis Ecclesie vox si nullam auctoritatem
 habet, quæ audientium fidem fulciat; nun-
 quam idem Apostolus Ecclesiam vocasset
columna & firmamentum veritatis. Sanè si veri-
 tatis columna est Ecclesia, fulcit veritatem. Si
 veritas est verbi Dei fides, fidem verbi fulcit
 Ecclesia. Non ergo execranda blasphemia est
 hoc dicere, sed execranda blasphemia est hoc
 negare. Rursum hæc predicantis Ecclesie vox
 si nullam auctoritatem habet, quæ audientium fidem
 fulciat, cur eius necessitas ab Apostolo hoc
 loco tam luculenter asseritur? Illa verba Apo-
 stoli, *Quomodo audiet sine predicante?* hunc omni-
 no sensum, hanc vim habet, Verbum Dei audire
 non possunt, nec debent (ordinarie loquendo)
 nisi ex voce predicantis Ecclesie. Sanè si
 illa verba, *Quomodo predicabunt, nisi mittan-
 tur?* hunc sensum, hanc vim habet, Verbum
 Dei predicare nec possunt, nec debent, nisi
 legitime mittantur. An non igitur eorum
 est in causa fidei certa auctoritas, quos ne-
 cessario audire oportet ut credamus? Exe-
 cranda igitur rursus est Caluini blasphem-
 ia, qui hoc negat. De implicita fide quod
 licet iterum garrit, nihil ad rem præsentem.
 Fides Christianorum quæ audit prædican-
 tem Ecclesiam, siue, quum illam audit, im-
 plicita adhuc & minus perfecta generetur,

1. Tim.
3. 15.

Fides Ec-
 clesie da-
 ta à verbo
 Dei non
 diuellitur

Xx 2

siue

siue explicita, plena atque perfecta capiatur, nunquam à verbo Dei auellitur, quia Ecclesia docens nunquam verbo Dei destituitur. In summa, tenenda tota Apostoli sententia, *Fides est ex auditu prædicantis Ecclesie*; & auditus ille, quem qui audit, Ecclesiam habet, est per verbum Dei: quia neque sine prædicante Ecclesia verbum audiri debet (*Quomodo enim audient sine prædicante?*) neque Ecclesia prædicans ac docens, aliud quàm verbum Dei docere potest, quia hæc verbi Dei *custos, testis, columna, & firmamentum est*. Videat Lector quæ de hoc verbi & Ecclesie docentis nexu indiuiduo & inseparabili

In Matth. c. 5. v. 13.
Luc. c. 10.
v. 16. Ioan. cap. 7. v. 48. & c. 10. v. 16. & c. 19. v. 23.
In Act. c. 15. v. 28. & c. 16. v. 17.
Verbi prætextus hæreticorum asylum.

li in alijs Antidotis nostris, varia data occasione, contra Calvinum disputauimus, tam in Euangelia quàm in Acta Apostolorum. Verbi prætextus hæreticorum asylum est: Ecclesie à Christo data autoritas, columna & firmamentum orthodoxorum est. Verbum, neglecta Ecclesia, volunt illi: verbum nisi cum Ecclesia & per vocem Ecclesie volumus nos. Doctrinam cælestem clamant illi: doctrinam cælestem ex ore docentium, qui docere iubentur, profitemur nos. Vide potissimum quæ ad Ioan. cap. 19. ver. 23. scripsimus.

Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem mihi.

Docet hic locus, gratiam diuinam sic in homine operari, vt ei homo vicissim liberè cooperetur aut non cooperetur. Hic enim Apostolus volens docere Iudæos sua culpa reiectos à Deo esse, eò quòd in Christum nō crediderunt (saluari enim non posse nisi qui credunt, siue sit Iudæus siue Græcus) postquam dixisset illos audiuisse Euangelium (nam in omnem, inquit, terram exiit sonus prædicantium) quo audito credere potuissent, si voluissent; nunc docet de hæcorum voluntaria incredulitate olim prædixisse Esaiam; docet hunc esse veterem huius populi morbum, quòd cum maximis auxilijs gratiæ Dei conuerti tamen noluerint, sed semper cōtradixerint, & (vt S. Stephanus illis in os dixit) Spiritus S. semper re-

Gratiæ Dei increduli resistunt. Act. 7.

stiterint. Illud enim, *Expandi manus meas*, copiosam & præsentem illis Dei gratiam significat. Illud, *tota die*, perseverantem & perpetuò pulsantem Dei gratiam docet; dum interim ipsi Deo non crederent, sed contradicerent. Quòd si hæc Dei gratia tam copiosa & tam perseveranter oblata non fuisset auxilium sufficiens, & gratia ex se efficax; profectò nec illi contradicendo peccassent, nec illorum incredulitatem vel per Esaiam Deus conquerèdo redarguisset, vel

Apostolus in sequenti capite ruinam eorum causam fuisse docuisset. Peccatum enim incredulitatis positivæ seu pertinaciæ (quale hoc Iudæorum erat) sicuti absque externa prædicatione sufficienter facta non fuisset (ideoque, qui de Evangelio nunquam audierunt, illo infidelitatis positivæ peccato non peccarunt) sic absque interna gratia sufficienti, (sine qua externa prædicatione nihil ad salutem operatur) idem peccatum non fuisset. Nam ut qui ex prædicatione manca aut imperfecta, aut fallâ & corrupta, fidem totam & integram non didicit, à peccato infidelitatis positivæ excusatur (vnde Paulus, ut suos Ephesios inexcusabiles redderet si in tota vera fide post eius discessum non persisterent, dicit illis: *Non subterfugi quominus annunciarer omne consilium Dei vobis*) sic planè per auxilium gratiæ insufficientis, qui non fuit conversus, ab eodem peccato excusatur. Vnde Christus in Evangelio de Iudæorum incredulitate sic loquitur: *Si non venissem & locutus fuisset eis, peccatum non haberet, nunc autem excusationem non habet de peccato suo. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit (hæc fuerunt opera gratiæ, externis miraculis coniuncta) peccatum non haberent; magnum videlicet hoc infidelitatis & pertinaciæ peccatum. Qui ergo auxilio gratiæ contradicendo, pertinaciæ & positivæ incredulitatis peccato peccavit, ille haud dubiè gratiæ sufficientis*

Act. 20.

Joan. 15.

sufficiēti & per se efficaci cōtradixit. Con-
 tradixit autem, quia credere & obedire no-
 luit. Sic de Iudæis iterum Christus profite-
 tur: *Quoties volui congregare vos, vt gallina con-* Mat. 23
gregat pullos suos, & nolulistis! Illud quoties mul-
 tiplicationem auxiliorum notat. Illa *gallina*
similitudo tenerrimam dilectionem ex parte
 Dei, & synceram gratiæ inspirationem sig-
 nificat. Sed congregari ad Christum no-
 luerūt, cōradicere voluerunt. Sanè auxiliij
 gratiæ sufficientia, & quantum ex se est, ef-
 ficacia, sed ex hominum malè libera vo-
 luntate inefficacia, ex illis Scripturis mani-
 feste colligitur, quæ docent cum æqualibus
 gratiæ auxilijs alios conuersos non fuisse
 cum illa haberent, alios conuerti voluisse si
 habuissent. Apud Ezechielem dicit Deus: Ezech. 9
Non ad populum profundi sermonis & ignota lingua
tu mitteris; & si ad illos mittereris, ipsi audirent te.
Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt
audire me. Hæc ille. Patet, ex illa prædica-
 tione alios conuertendos fuisse, ex qua Iu-
 dæi conuerti noluerunt. Sic in Euangelio
 Christus dicit, *Tyrios & Sidonios in cilicio & ci-* Mat. 23
nerere penitentiam acturos fuisse, si illa signa vidis-
sent quæ in Bethsaide & Capharnaū facta
fuerant: cum quibus tamen ipsi Bethsaide-
te & Capharnaite cōuerti noluerunt. Nem-
 pe hoc est quod Apostolus hic dicit, *Non om-*
nes obediunt Euangelio, quia ad eandem prædi-
cationem cum eadem excitāte gratia (alio-
 qui

qui, non obedire, nullum esset novum peccatum, quia natura vires excedit fidei donum) alij captivare intellectum in obedientiam fidei gratiæ ductum sequentes nolunt, alij volunt.

Argumentum Cap. XI.

DOCE T reliquias Iudæorum saluatas esse beneficio gratiæ Christi, reliquos in sua cæcitate mansisse: Gentes tamen ad fidem vocatas illis insultare non debere, ne & illi excidantur. Denique & ipsos Iudæos tandem ad fidei notitiam & complexum peruenturos exemplo Gentium, sicut Gentes ob incredulitatem Iudæorum venerunt. In qua gratiæ dispositione altitudinem diuinæ sapientiæ admirando concludit.

2. *Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit.*

Prædestinatio cur modò electio modò præsciencia vocetur.

QUUM ad prædestinationem cuiusque adulti duo necessaria sint, nempe & Dei electio secundum propositum suum per gratiam (hoc est, voluntas conferendi ea auxilia gratiæ, quibus prævidet prædestinatum ad vitam æternam peruenturum) & præterea ipsa Dei præsciencia, quod talibus gratiæ auxilijs